

UC-NRLF
$B 14 277


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS





DE

FONTIBUS LIBRORUM CICERONIS

QUI SUNT DE DIVINATIONE.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

UNIVERSITATE LITERARUM IENENSI

PROPOSUIT

THEODORUS SCHICHE

POSNANIENSIS.

JENAE MDCCCLXXV.

TYPIS FRIDERICI FROMMANNI.



DE

FONTIBUS LIBRORUM CICERONIS
QUI SUNT DE DIVINATIONE.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

UNIVERSITATE LITERARUM IENENSI

PROPOSUIT

THEODORUS SCHICHE

POSNANIENSIS.

JENAE MDCCCLXXV.

TYPIS FRIDERICI FROMMANNI.

AEMILIO HUEBNERO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

Cum circumspicerem dissertationis argumentum, cuius tractatio neque inutilis esset et apta viribus meis atque studiis, quaestionem elegi de fontibus librorum Tullianorum de divinatione. Huius generis disputationibus non solum Ciceronis libros accuratius cognoscimus, perspicientes, quid ipse invenerit, quid ab aliis sumpserit, quaque hoc fecerit ratione, sed etiam ad philosophorum Graecorum cognitionem afferre aliquid possumus, cum demonstramus, quaenam librorum Tullianorum partes ad quem philosophum sint referendae. Hoc quod posteriore loco posui, tanti non esset, si philosophorum illorum, quorum scriptis Cicero usus est, libri superessent, id autem praeter Timaeum Platonicum tantum Philodemi Epicurei libro *περὶ εὐσεβείας* Herculanei reperto ac ne huic quidem integro accidit, quem Cicero in libro primo de deorum natura (10, 25 — 15, 41) excerpsit. Quod vero dico, huiusmodi disquisitionibus melius cognosci rationem, qua Cicero libros philosophorum Graecorum adhibuerit, iam inter omnes constat, eum in universum singulis operum suorum libris singula illorum scripta exprimere solitum esse; id etiam in libris de divinatione eum fecisse quaestione nostra efficietur. Quae secundum duos libros per se in duas partes dividitur.

I. De fontibus libri prioris.

Videamus primum, quorum philosophorum sectam secutus Cicero libro priore divinationem defenderit. Eos fuisse Stoicos cum ex universa huius libri disputatione tum ex diserto Ciceronis testimonio apparet, qui quidem in l. II, 3, 8 Quinto fratri, quem l. I disputantem inducit, haec dicat: „accurate tu quidem, Quinte, et Stoice Stoicorum sententiam defendisti.“ Itaque iam inquirendum est, quinam Stoicorum

libri Ciceroni praesto esse potuerint, quibus igitur scriptis illi doctrinam suam de divinatione explicaverint. In ea re Cicero ipse plurimum nos adiuvat, cum de div. I, 3, 6 breviter Stoicorum de divinatione libros enumeret. De Zenone, illorum principe, haec dicit: „cum Stoici omnia fere illa defenderent, quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparsisset“ cet. Hi commentarii sunt *ἀπομνημονεύματα* a Diogene Laërt. VII, 4 in scriptis Zenonis numerata, ubi legimus: *ἔστι δ' αὐτοῦ* [*Ζήνωνος*] *καὶ τέχνη καὶ λύσεις καὶ ἔλεγχοι δύο, ἀπομνημονεύματα, Κράτητος ἠθικά.* A Cobeto quidem, quem sequitur Koepkius (in libro: Ueber die Gattung der *ἀπομνημονεύματα* in der griechischen Litteratur, Brandenburg 1857), hic locus ita legitur: *ἀπομνημονεύματα Κράτητος, ἠθικά.* Sed neque apud Diogenem Laërtium neque apud alium scriptorem locum invenire mihi contigit, quo commentarii de aliquo scripti dicerentur eius *ἀπομνημονεύματα.* Ubi vero haec vox cum genetivo hominis alicuius coniungitur, non is significatur, de quo in commentariis sermo fuit, sed auctor libri, velut apud Philodemum *περὶ εὐσεβείας* p. 71 ed. Gomperz: *ἐν τοῖς Ξενοφῶντος ἀπομνημονεύμασιν.* Hoc igitur loco, de quo agimus, *Κράτητος* non ad *ἀπομνημονεύματα* referendum est, sed ad *ἠθικά.* Krischius (in libro: die theologischen Lehren der griechischen Denker p. 365) etiamsi non legit: *ἀπομνημονεύματα Κράτητος*, tamen putat, Zenonis *ἀπομνημονεύματα* de Cratete scripta fuisse, atque item eiusdem generis libros Persaei et Aristonis (Diog. Laërt. VII, 36 VII, 163) de Zenone. Sed Persaei alius commemoratur liber, *ἠθικαὶ σχολαί*, in quibus de aetate Zenonis sermonem fuisse apparet ex Diog. Laërt. VII, 28; auctor autem narrationis huius Laërtianae certe non librum expositionum moralium sed commentarios adhibuisset, si Persaeus hos de Zenone scripsisset; per se enim veri simile est, illum de aetate praeceptoris disserturum hoc in commentariis potius de eo edendis facturum fuisse, quam in expositionibus moralibus. Aristonem autem in Zenonis memoriam commentarios scripsisse in modum Xenophonteorum non est veri simile, quoniam a Zenone despiciebatur et defecit (Diog. Laërt. VII, 18. 167. Krisch. p. 407). Horum igitur exemplis non firmatur Krischii de Zenonis commentariis sententia, quae vel

infirmatur alia re ab ipso Krischio (p. 365) allata. Libri enim Eratosthenis et Apollophanis de praeceptore Aristone compositi non ἀπομνημονεύματα, sed Ἀρίστων inscripti erant. — Plura de Zenonis commentariis a Cicerone dictis mox afferentur, si de Cleanthe quae huc pertinent exposita erunt. Hunc Cicero (I, 3, 6) ea, quae Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparserit, paulo uberiora fecisse dicit; qua in re pro ingenii sui facultate certe perpauca tantum de praeceptoris sententiis mutavit. Hoc cum apud alios philosophos reperitur, tum minime mirum est in Cleanthe, quem summa cum constantia et fide Zenonis praecepta et doctrinam retinuisse traditum est (cf. Krisch. l. l. p. 416 sqq.). Ea re etiam adducimur, ut coniciamus, Cleanthem libro suo, quo quid de divinatione senserit explicavit, etiam titulum similem inscripsisse atque Zenonem, et quaeritur, possitne comprobari, Cleanthis quoque fuisse commentarios. In indice quidem librorum ab eo scriptorum, quem habet Diog. Laërt. VII, 174, non exstant, omninoque praeter libros περὶ θεῶν et eos, quorum argumenta ignoramus, nullus invenitur, in quo aliquid de divinatione scriptum fuisse suspicari possis. Sed ut alii apud Diog. Laërtium librorum indices ne hic quidem omnes philosophi libros complectitur. Plutarchus enim (in scriptis moralibus p. 1265, 30 ed. Dübner.) testis est, re vera Cleanthem quoque scripsisse commentarios eosque physicos (φυσικὰ ὑπομνήματα). Inde et ex eo, quod dixi de ratione inter Zenonem et Cleanthem intercedente, colligemus, Zenonis quoque commentarios praecipue fuisse physicos. In commentariis igitur de rebus naturalibus scriptis et Zeno et Cleanthes etiam de divinatione disseruerunt. Neque vero id mirum est, quoniam universa de diis doctrina pars physices fuit. Divinationis coniunctione cum rebus naturalibus factum est, ut in reprehensione Stoicarum, praecipue Zenonis, de illa sententiarum disputaretur etiam de rebus ad divinationem re vera non pertinentibus, velut quomodo somnus fieret (Cic. de div. II, 119). — Etiam Posidonium in libris, quos de rebus naturalibus scripsit, sententias suas de divinatione exposuisse videmus ex Diog. Laërt. VII, 149. — Sententiae nostrae etiam verba Ciceronis favere videntur, qui

quidem reliquorum Stoicorum libros, quibus divinationem tractaverunt, appellet (I, 3, 6), Cleanthem autem tantum ea, quae a Zenone exposita erant in commentariis, paulo uberiora fecisse dicat; verissime haec dicta sunt, si putamus, Cleanthem etiam externam de divinatione disputandi rationem servasse, in commentariis igitur ipsum quoque sententias suas exposuisse. Quod vero *ἀπομνημονεύματα* Zenonis ab Athenaeo commemorantur (IV, p. 162 B: *Περσαίου — — συμποτικοὺς διαλόγους συντεθέντας ἐκ τῶν Στίλπωνος καὶ Ζήνωνος ἀπομνημονευμάτων, ἐν οἷς ζητεῖ, ὅπως ἂν μὴ κατακοιμηθῶσιν οἱ συμπόται καὶ πῶς ταῖς ἐπιχύσεσι χρηστέον κτλ.*), nihil in cognoscendis commentariis a Cicerone dictis iuvamur. Iam per se enim veri simile non est, Zenonem in iisdem libris de divinations atque de iis rebus disseruisse, de quibus ut a Persaeo expositis Athenaeus loquitur. Deinde autem iam Koepkius (l. l. p. 14) vidit, commentarios Stilponis ab Athenaeo una cum Zenonis commentariis commemoratos a Diog. Laërt. (II, 120) in Stilponis libris non enumerari, attamen in his esse nonnullos, quibus fere ea, quae Persaeus secundum Athenaeum excerpsit, contineri potuerunt: *Μόσχος* et *Ἀρίστιππος ἢ Καλλίας*. Etiam inter Zenonis libros fuerunt multo aptiores, qui in componendis *συμποτικοῖς διαλόγοις* excerperentur, quam *ἀπομνημονεύματα*, velut ii, qui commemorantur apud Diog. Laërt. VII, 34: *περὶ τ' ἐρωτικῶν διείλεκται κατὰ τὴν ἀρχὴν τῆς ἐπιγραφομένης ἐρωτικῆς τέχνης, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς διατριβαῖς παραπλήσια γράφει.* Itaque Athenaeus minus accurate libros complures et Stilponis et Zenonis, quos omnes Persaeus excerpsit, videtur mihi una *ἀπομνημονευμάτων* voce comprehendisse.

Chrysippi et eorum qui hunc secuti sunt Stoicorum libros de divinatione aut aliqua eius parte scriptos enumeravit et omnia, quae de iis compertum habemus exposuit C. Wachsmuth in libello quem scripsit de Stoicorum de divinatione et daemonibus placitis („die Ansichten der Stoiker über Mantik und Daemonen“ Berlin 1860) p. 12—15. Cum acta agere nolim, iterata repetitione abstineo et lectorem ad disputationem Wachsmuthianam relegans perpauca addo. Non recte scripsit vir doctus (p. 13), librum Chrysippi appellari a Photio in quaestionibus

Amphilochicis, quae exstant in Montfaucon. biblioth. Coislin. p. 347, ubi haec tantum leguntur: *Τρίτη (σίβυλλα) Δελφὶς ἡ ἐν Δελφοῖς τεχθεῖσα περὶ ἧς ἱστόρησε Χρύσιππος. Τετάρτη κτλ.* Quamquam ubi eadem res iisdem verbis exponitur, in scholiis Phaedri Platonici p. 315 ed. Bekk., additur inscriptio operis Chrysippei; hic enim legimus: *περὶ ἧς ἱστόρησε Χρύσιππος ἐν τῷ περὶ θεότητος βιβλίῳ.* Hoc versum esse e verbis Latinis: „in libro de divinatione", iam Krischius vidit, Wachsmuthius assensus est. Atque etiam fontem verborum Graecorum expromere possumus. Quod enim scriptum est: *ἐν τῷ βιβλίῳ*, non aut addito libri numero — nam duos Chrysippus scripsit de divinatione libros — aut adhibito plurali, id testimonio est, etiam apud auctorem Latinum scriptum fuisse singularem numerum, quem Graecus retinuit, cum Chrysippi de divinatione libri ei iam non essent noti. Graeca autem vox *βιβλίον* non ut Latinum „liber" usurpari potuit pro vocibus „scriptum" aut „opus". Iam ita ut vertit scholiasta Sibyllam Delphida cum aliis novem enumeravit Varro in libris rerum divinarum, e quibus fragmentum illam enarrationem continens exstat in Lactant. inst. div. I, 6. Legimus ibi: „M. Varro — — in libris rerum divinarum, quos ad C. Caesarem pontificem maximum scripsit, cum de quindecimviris loqueretur, — — sibyllas — — omnes enumeravit sub auctoribus, qui de singulis scriptitaverint. — — Tertiam Delphida, de qua Chrysippus loquitur in eo libro, quem de divinatione composuit." Apparet, fontem enumerationis Graecae fuisse aut Varronis librum, aut, id quod veri est similius, Lactantii. — Posidonii Cicero quidem solos libros V de divinatione appellat, unde certum est, eum putasse, Posidonium in his tantum divinationem tractasse. Wachsmuthius autem addere potuit, idem factum esse in quaestionibus naturalibus, quod iam commemoravi (p. 3); legimus enim apud Diog. Laërt. VII, 149: *καὶ αὐτὴν (τὴν μαντικὴν) καὶ τέχνην ἀποφαίνουσι διά τινας ἐκβάσεις, ὥς φησι Ζήνων τε καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ μαντικῆς καὶ Ἀθηνόδωρος καὶ Ποσειδώνιος ἐν τῷ δευτέρῳ τοῦ φυσικοῦ λόγου καὶ ἐν τῷ πέμπτῳ περὶ μαντικῆς.* Integrum exscripsi hunc locum, ut Athenodori quoque nomen appareret; nam neque Wachsmuthius cau-

sam affert, cur ille de divinatione scripsisse vere putandus sit, neque a Weicherto, ad quem de Athenodoro Wachsmuthius lectores ablegat, Diogenis Laërtii locum adhibitum esse video.

Postquam expositum est, qui fuerint libri, quorum uno Ciceronem ad componendum suum librum priorem usum esse suspicari possumus, sequitur, ut, quatenus ad propositum est utile, quaeramus, quomodo id, quod Stoici de divinatione docuerunt, a singulis Stoicis deinceps excultum sit. — Universa Stoicorum cum de diis tum de divinatione doctrina percipitur ex eo, quod Zeno Citieus, etsi in physiologia Heraclitum potissimum secutus est, tamen per Cratetem et Antisthenem magnam philosophiae suae partem a Socrate accepit, qui quid de divinationis quibusdam generibus senserit omnes sciunt. Praeterquam enim, quod oraculis permultum tribuit et somniis paruit, velut ei, quod narrat Plato in Phaedone (p. 60), solebat etiam dicere *τὸ δαιμόνιον ἑαυτῷ σημαίνειν* (Xen. mem. I, 1, 2), quod Platone auctore (Apol. p. 31 D 40 A. Phaedr. p. 242 B cf. Cic. de div. I, c. 54) ita erat intellegendum, ut *τὸ δαιμόνιον* eum revocaret, cum erat aliquid facturus, neque vero ad faciendum quidquam impelleret. Xenophon de dicto illo Socratis aliquanto simplicius et ad vulgarem opinionem accommodatius ita disserit, ut *τὸ δαιμόνιον* Socrati etiam indicasse videatur, quid ei sit faciendum. Dicit enim l. l. §. 4: *καὶ πολλοῖς τῶν συνόντων προηγόρευε (Σωκράτης) τὰ μὲν ποιεῖν, τὰ δὲ μὴ ποιεῖν, ὡς τοῦ δαιμονίου προσημαίνοντος.* Zeno autem lectis commentariis Xenophonteis ad philosophiam compulsus esse narratur atque etiam postea eorum fuit studiosissimus (cf. Krischium p. 363 sq., qui etiam, quae de Socratis daemonio dixi accurate exponit p. 227). Sine dubio igitur Zeno quoque placitum illud defendit, numen divinum hominibus significare, quid iis sit faciendum, quid non, atque ad eum referimus divinationis definitionem, quae legitur apud Sextum Empir. adv. math. IX, 132: *μαντικὴ ἐπιστήμη οὖσα θεωρητικὴ καὶ ἐξηγητικὴ τῶν ὑπὸ θεῶν ἀνθρώποις διδομένων σημείων.* Hanc esse Zenonis inde concludere possumus, quod et Socraticae divinationis significandae consuetudini (*τὰ δαιμόνιον ἑαυτῷ σημαίνειν*) proxima est, et eam praebet speciem, ut appareat, ex ea or-

tam esse Chrysippi definitionem, de qua mox dicetur. Iam Zenonem divinationem in duo genera divisisse elucet ex Diog. Laërt. VII, 149. Ubi cum dicatur: *καὶ αὐτὴν καὶ τέχνην ἀποφαίνουσι διά τινας ἐκβάσεις* et inter testes huius sententiae Zeno quoque afferatur (cf. p. 5), etiam naturale divinationis genus praeter artificiosum hic quoque statuerit necesse est.

Quae Cleanthis de divinatione fuerit sententia nescimus praeterquam quod Cic. de nat. deor. II, 5, 13 tradit, eum in causis, de quibus in animis hominum deorum notiones informatae sint, etiam divinationem numerasse. Iam apud eum igitur argumenta illa sic reciprocabantur, ut, si di essent, divinatio esset, et, si esset divinatio, di essent (Cic. de div. I, 5, 9).

Chrysippus secundum Ciceronem (de div. II, 63, 130) „divinationem definit his verbis: vim cognoscentem et videntem et explicantem signa, quae a dis hominibus portendantur.“ Omnino eandem, Chrysippi igitur definitionem legimus in Stob. ecl. eth. p. 122 ed. Heeren.: *εἶναι δὲ τὴν μαντικήν φασιν (οἱ Στωικοί) ἐπιστήμην θεωρηματικὴν σημείων τῶν ἀπὸ θεῶν ἢ δαιμόνων πρὸς ἀνθρώπινον βίον συντεινόντων*, et p. 238: *καὶ μαντικὸν δὲ μόνον εἶναι τὸν σπουδαῖον, ὡς ἂν ἐπιστήμην ἔχοντα διαγνωστικὴν σημείων τῶν ἐκ θεῶν καὶ δαιμόνων πρὸς ἀνθρώπινον βίον τεινόντων.* In verbis Graecis *δαίμονες* adduntur diis, a Cicerone autem omittuntur, quoniam sermo Latinus non praebebat aptam versionem (cf. Cic. Tim. 11). — Rationem divinationis Chrysippus non solum a deo repetivisse videtur, quae ratio exponitur a Cicerone I, 38, 82 sq., sed etiam a fato, qua de re cf. Diogenianum apud Eusebium in praeparatione evangelica p. 136 D, cui Chrysippus praecipue utilitatis causa divinatione hominibus praebitae hanc defendere visus est (p. 138 A). Neque vero aliter hic incidisset in ineptias illas fere incredibiles, attamen etiam ab insequentibus Stoicis defensas, de quibus disserit Cicero II, 15, 35. Ceterum Chrysippus primus Stoicorum accuratius singula divinationis genera eorumque causas exposuit eoque studio permotus de iis, quae in hominum usu latius patebant plurimumque valebant, de oraculis et somniis, peculiares edidit libros (Cic. de div. I, 3, 6). „Somniorum coniectionem definit hoc modo: esse vim

cernentem et explanantem, quae a dis hominibus significarentur in somnis" (ib. II, 63, 130). In utroque libro magna exemplorum vi argumenta sua confirmavit, fortasse desiderata compensavit (ib. I, 20, 39. 19, 37). Quae insequentibus Stoicis propria fuerint de divinatione praecepta, posthac demum e commentatione nostra apparebit. Hic satis erit adnotasse, eos in universum Chrysippi argumenta retinuisse partim immutata partim aliquantum mutata et, quoad fieri potuit, novis inventis atque exemplis firmata. Cum enim Chrysippi de divinatione placita a Carneade Academico vehementer impugnarentur, Antipater Stoicus praecipue multitudine exemplorum verae divinationis eum coarguere studuit (ib. I, 20, 39). Postquam deinde ea, quae Carneades contra Stoicos disputaverat, libris a Clitomacho, illius discipulo, scriptis divulgata fuerunt, redintegrata divinationis defensione opus fuit, nisi quis in Panaetii dubitatione acquieturus erat. Suscepit illam Posidonius et, quod iam vidimus (p. 5), cum in quaestionibus naturalibus, tum quinque de divinatione libris argumenta exposuit, quibus divinatio defenderetur.

His absolutis iam perlustrandus est liber Tullianus, ut cognoscamus, quemnam Stoicorum Cicero sit secutus.

Cum apud omnes reliquas gentes tum apud Romanos multa divinationis genera celebrari dicit. Quae ut probarent philosophos fere omnes, qui quidem deos esse putarent, argumenta collegisse, praecipue Stoicos excepto Panaetio. Cuius dubitatione Academiam comprobari; ex qua cum multa a Carneade contra Stoicos disputatum esset, sibi faciendum visum esse, ut accuratius divinationis argumenta examinaret. Inducitur deinde a Cicerone Quintus frater isque divinationem his verbis definit: divinatio „est earum rerum, quae fortuitae putantur, praedictio atque praesensio," omnino igitur aliter atque Zeno aut Chrysippus (cf. p. 6 et 7). Neque vero suo Marte Cicero hanc definitionem proposuit; nam ubi id aperte facit, divinationem minus elaborate dicit „praesensionem et scientiam rerum futurarum" (de div. I, 1, 1). Immo cautissima est illa definitio, cum dicatur: „quae fortuitae p u t a n t u r." Ita enim responsum videri potuit adversariorum quaestioni, quam Cicero in

libro II (§ 15) Stoicorum sententiae opponit: „potestne earum rerum, quae nihil habent rationis, qua re futurae sint, esse ulla praesensio?“ Indicatur iam ipsa illa definitione, auctorem eius nihil omnino fortuitum putasse. Hanc autem sententiam ad defendendam divinationem a Posidonio adhibitam esse Cicero exponit sub finem libri I (§ 125: „nihil est factum, quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil est futurum, cuius non causas id ipsum efficientes natura contineat“) idque ita, ut dubitari omnino nequeat, quin Cicero illic Posidonii librum excerpat. Inde conici potest, Ciceronem etiam definitionem, de qua agimus, cum hac sententia arte cohaerentem legisse in Posidonii de divinatione libris quinque (cf. p. 5), idque certum erit, si alia quoque apparebunt huius rei satis multa indicia. Docet deinde Quintus, se sequi sententiam de utroque divinandi genere ex consensu gentium comprobatam; utriusque generis eventa magis quaerenda esse, quam causas. Iam hic Quintus Carneadis meminit, cui asserit Panaetium. Nemo autem putabit, Ciceronem tantopere Carneadem et Panaetium curasse, ut ex ipsius scientia ei praesto esset, quid philosophi illi in una aliqua re quaerere soliti essent, etiamsi concedimus, eum non ignorasse, quid in universum uterque de divinatione iudicaverit. Putandum potius est, Ciceronem ea, quae hic de Panaetio et Carneade narrat (c. 7, § 12), invenisse apud scriptorem Graecum, cuius librum ut fontem totius disputationis adhibet. Cur autem non alii quilibet divinationis contemptores, sed illi duo potissimum sint appellati, ex iis, quae de divinatione a Carneade reiecta, in dubium vocata a Panaetio, a Posidonio autem defensa modo disputavi (p. 8 sq.), optime intellegemus si credimus, Ciceronem ea, quae hoc loco profert, ex Posidonii libris sumpsisse.

Pergit Quintus disserens, diu divinationem observatam esse, et ut in multis aliis rebus, velut in tempestatibus et in medicina, sic in hac quoque, etiamsi cur quidque fiat ignoretur, tamen quid fiat intellegi.

Postquam hanc suam argumentationem Quintus exemplis illustravit, denuo refutat, quae Carneades obiciebat (§ 23), et probare studet, neque exempla recte divinandi casui esse tri-

buenda, qui tantus esse non possit, ut omnino veritatem assequatur, neque ullam artem opinabilem nunquam fallere (§ 23—25).

Ita divinatione universe defensa Cicero incisionem quandam disputationis facit disserendo de Romanorum augurum scientia (c. 15—17). Re vera autem universam divinationis defensionem esse cardinem antecedentis disputationis manifestum fit etiam ex Ciceronis verbis huius summam indicantibus, quae legimus § 16: „*pro omni* igitur *divinatione* idem quod pro rebus iis, quas commemoravi, respondebo."

Qua re absoluta Cicero divinationis divisionem accurate proponit (§ 34); quae quod generum ordine non diversa est ab ea, quam legimus initio totius disputationis (§ 11 fin., 12), testimonio est, Ciceronem utroque loco eundem scriptorem Graecum sequi. Neminem autem fugit, has divisiones ita inter se differre, ut superiore (§ 11, 12) quam brevissime significetur omnis divinatio, quo melius legentes librum inde ab initio sciant, quibus de rebus in sequentibus sermo futurus sit, posteriore autem multo uberius singula exponantur, atque ut appareat, hanc alteram divisionem exordium esse novae libri partis continentis disquisitionem de singulis divinandi generibus. Auctorem autem Graecum, cuius ex libro Cicero hanc divisionem sumpsit, non fuisse Chrysippum veri simile est propterea, quod ex Diog. Laërt. VII, 149 (*καὶ αὐτὴν* (divinationem) *καὶ τέχνην ἀποφαίνουσι διά τινας ἐκβάσεις, ὥς φησι — — καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ μαντικῆς*) colligi potest, duorum Chrysippi de divinatione librorum posteriorem fuisse de artificioso divinandi genere, priorem igitur de naturali, qui ordo contrarius est ei, quo scriptorem a Cicerone adhibitum rem tractasse videmus. Monendum etiam, a Cicerone (§ 34) Erythraeam appellari Sibyllam, quamquam ei ut homini Romano ante ceteras Cumana in mentem venire debuit, aut certe potius hoc nomen, quam illud, si Cumana Sibylla eadem fuit atque Erythraea. In hac quoque re scriptorem Graecum agnoscimus. Quodque ex Varrone scimus (cf. p. 5), Chrysippum in suis de divinatione libris disseruisse de ea Sibylla, quae Delphis nata esse dicebatur, aut sola aut praecipue — id quod ex Varronis ver-

bis disceptari nequit, — novum habemus testimonium, Ciceronem non Chrysippi sed alius Stoici libro esse usum. Quod autem ille sicut hoc loco etiam eiusdem libri § 79 et l. II c. 54 de una tantum Sibylla loquitur, nusquam de pluribus, non credibile est, eum Varronis decem Sibyllas enumerantis libros rerum divinarum legisse vel in hoc opere componendo adhibuisse, quod cur annotemus postea elucebit.

§ 35 Cicero disputare incipit de divinatione artificiosa, quam etiam in divisionibus § 11 et 34 explicatis primam posuerat et his verbis definiverat: „est ars in iis, qui novas res coniectura persequuntur, veteres observatione didicerunt", eamque breviter defendit, cum dicit: „Quae est igitur ista calliditas, res vetustate robustas calumniando velle pervertere" et q. s. usque ad verba — „uti voluit". Quoniam de coniectoribus ex novis rebus futura praedicentibus Cicero diserte non loquitur, fortasse aliquis putaverit, eum hoc loco tantum alterum divinationis artificiosae genus defendere altero omisso. Sed facile credimus, a Quinto etiam artem coniectorum propter longum, quo exercebatur, tempus vetustate confirmatam putari et verbis: „res vetustate robustas" utrumque artificiose divinandi genus comprehendi. Haec ita accipi posse nemo infitias ibit; et si quis opponat, hanc expositionem ut defensionem totius divinationis artificiosae esse nimis brevem ac fere nullam, is iam non mirabitur, cum perspexerit, quantopere Cicero in hac libri sui parte auctoris Graeci disputationem contrahat. Quae enim brevem illam defensionem sequuntur (§ 35, 36) continent reliquias uberioris de universa divinatione artificiosa expositionis, maxime illas quidem exiguas, attamen eam praebentes speciem, ut omnia illius genera exhibeant et ordinem disserendi in libro Graeco adhibitum demonstrent. Hoc manifestum fit collata l. I § 109. Ibi enim ut demonstretur, qua ratione singula divinationis genera fieri possint et fiant, legentibus in memoriam rediguntur partes divinationis artificiosae, ita quidem, ut hic non solum iisdem verbis significentur atque eo loco, de quo nunc agimus (§ 35), sed etiam eodem ordine enumerentur. Optime id perspicitur, si alterum locum sic iuxta alterum ponimus:

§ 35.	§ 109.
„non adducar, aut in extis totam Etruriam delirare	„quae enim extis,
aut eandem gentem in fulgoribus errare,	quae fulgoribus,
aut fallaciter portenta interpretari, —	quae portentis,
§ 36.	
condemnemus etiam, qui — — numeris et motibus stellarum cursus persequuntur“	quae astris praesentiuntur,
	notata sunt observatione diuturna.“

Portentorum exempla a Cicerone 36 addita effecerunt, ut astra a reliquis generibus secernerentur, neque tamen, ut videmus, omitterentur. — Iam non erit dubium, quin Cicero totam de artificiosa divinatione doctrinam ab auctore Graeco multo copiosius expositam in ea coartaverit, quae legimus § 35 et 36. Causa ea fuisse videtur, quod in libro Graeco allata fuerunt multa divinationis artificiosae exempla Ciceroni abicienda. Eius enim rei indicium verba sunt, quibus narrat (§ 35), Etruscos non solum Romanis, sed etiam ceteris civitatibus multa praedixisse gravia et vera; magnum autem fuisse exemplorum numerum ex ea ratione apparet, qua Cicero haec refert, cum dicit: „terrae *saepe* fremitus, *saepe* mugitus, *saepe* motus.“ Duobus igitur exemplis contentus (§ 36), quorum tantum alterum, quod est de Ti. Graccho, eum non invenisse in libro aliquo Graeco propter auctoris Latini appellationem pro certo affirmari potest, de altero dubitari, fugit taedium transferendae in librum suum totius Graecae de artificiosa divinatione copiae, e qua tamen una aliqua res mira, magnus annus Babyloniorum (c. 19, § 36), festinanter chartas Graecas perlustranti animo inhaesit. Iam ex hac Babyloniorum astronomiae ab astrologia non disiunctae commemoratione et ex eo, quod astra quoque enumerantur in ea divinationis divisione, quam Cicero initio libri (§ 12) posuit quamque ad eundem scriptorem Graecum re-

ferendam esse atque posteriorem (§ 34) p. 10 monui, concludere possumus, qui philosophus Graecus Ciceroni utramque divisionem et quae de artificiosa divinatione habet suppeditaverit.

Altius vero res est repetenda iamque hic disserendum de alterius Tulliani de divinatione libri particula, qua Cicero Chaldaeorum astrologiam refutat (c. 42—46) quamque illum excerpendo aliquo libro Panaetii confecisse certis argumentis apertum fit. Legimus enim § 88 (l. II): „nominat etiam Panaetius Anchialum et Cassandrum", unde efficitur, etiam Eudoxum, qui antecedit, a Panaetio esse nominatum atque inde ab initio huius de Chaldaeis expositionis librum Panaetii a Cicerone esse adhibitum. Quo concesso etiam optime intellegemus, qua de causa paullo post appellatus sit Scylax Halicarnasius, familiaris Panaetii. Conficitur autem res iis, quae § 97 de antecedenti disputatione Cicero ipse pronuntiat: „videsne, me non ea dicere, quae Carneades, sed ea, quae princeps Stoicorum, Panaetius, dixit"? Hunc philosophum prae ceteris accurate antecedentium philosophorum scriptis et placitis operam dedisse ex Diog. Laërt. II, 64. 85. 87. III, 37. VII, 163 apparet. Si igitur Chrysippi aut Antipatri fuissent de Chaldaeis expositiones, de illis quoque, non solum de unius Diogenis Babylonii (c. 43) erroribus in astrologorum ea de qua agimus reprehensione locutus esset. Neque vero divinatio ex astris in Graecia fuit pervagata (de quo cf. Schoemann. antiquit. Graec. II p. 274 ed. 2); certe igitur philosophi, qui in scriptis suis de divinatione tantum rerum Graecarum rationem habebant, id omiserunt. Quorum in numero etiam Chrysippum et Antipatrum fuisse colligimus ex eo, quod uterque diu Athenis vixit ibique per tempus aliquod Stoicorum princeps fuit, et persuasum habemus reputantes, Panaetium de astrologia disserentem eos non curare. Contra cum reliquis divinandi generibus astrologiam quoque tractaverunt, qui ut de ea dicerent commoti sunt vel eorum quos docebant ingenio ac moribus, Romanorum scilicet maximam partem superstitionibus deditorum, velut Panaetius Scipionis Africani Minoris amicus, — vel more patriae siderum observatione clarae, velut Diogenes Babylonius Seleucia ortus

et fortasse etiam Posidonius natus Apameae, quae in Syria sita est. Hunc de divinatione ex astris disseruisse efficitur cum ex fragmento Ciceroniani de fato libri (p. 233 sq. apud Baiterum in editione Tauchnitziana) tum inde quod iam nullus alius praeter Posidonium restat Stoicus, ad quem referamus eam astrologiae defensionem, quam ut vidimus (p. 12), continebat liber Graecus a Cicerone adhibitus. Quod quo melius intellegatur perlustranda est Stoicarum de divinatione scriptionum series a Tullio l. I § 6 exprompta. Zenonis aut Cleanthis commentarios eum evolvisse nemo putabit. Chrysippum atque Antipatrum in libris suis de divinatione non disseruisse de astrologia demonstrasse mihi videor; ceterum Chrysippi libris Ciceronem non esse usum indicia iam se obtulerunt (p. 8. 10. 11) et posthac se offerent. Reliqui sunt Diogenes Babylonius et Posidonius, quorum alterumutrum a Cicerone adhibitum esse necesse est. Diogenes ab eo praeter refutationem illam astrologorum (II, c. 43) e Panaetio sumptam (cf. p. 13) et Stoicorum de divinatione librorum catalogum initio libri Tulliani positum (I, 3, 6) semel etiam appellatur, inter testes scilicet ratiocinationis illius, qua Stoici demonstrare studebant, esse re vera divinationem, l. I, § 84, quae res iisdem verbis exponitur l. II, § 101. Iterum autem atque iterum est monendum, Ciceronem tantum laborem atque operam in scriptiones suas philosophas non impendisse, ut eorum omnium philosophorum, quos appellat, libros legeret, semperque tenendum, cum alios veteres scriptores, tum Ciceronem quam rarissime nuncupare auctorem libri, ex quo sua excerpit. Quodque certo scimus, eum non esse usum libro Chrysippi, quem tamen una cum Diogene et Antipatro auctorem dicit illius conclusionis, ne horum quidem scripta propter eam Ciceronem inspexisse iam facile credimus et pro certo habemus, eum hic secutum esse alium scriptorem illorum trium sententiam referentem et nomina exhibentem. Accedit, quod Diogenis Babylonii praeter locos supra dictos in toto opere Tulliano nullum exstat vestigium. Eius igitur de divinatione librum Cicero non adhibuit. Ita ut auctor utriusque divisionis (I § 12 et 34) et brevis de artificiosa divinatione disputationis, quem quaesituri aliquantum digressi eramus, restat solus Posidonius.

§ 37 Cicero transit ad novam libri sui partem, quae totius disputationis, quam continet liber prior, tertia est; accedit enim ad universam divinationis defensionem, quae prima, et ad disputationem de artificioso divinandi genere, quae altera pars est cuiusque initio accurata divinationis divisio ponenda erat. In hac partium distinctione expositionem de haruspicina Romanorum (c. 15 — 17) ut separatam partem non numeramus, quoniam illa reliquae disputationi ne iusto quidem loco superaddita est et ex Ciceronis ipsius ingenio scripta, non adhibito fonte Graeco, sed ordine eius interrupto. — In tertia igitur hac parte tractat naturale divinationis genus in divisionibus quoque (§ 12 et 34) altero loco positum, ad quod se transire adnotare non omisit; dicit enim (§ 37 in.): „age, barbari vani atque fallaces; num etiam Graiorum historia mentita est? quae Croeso Pythius Apollo, *ut de naturali divinatione dicam*, quae Atheniensibus," cet. Pertinent ad eam praecipue oracula et somnia. De illis breviter Cicero agit, cum exemplorum copia ad Chrysippi de oraculis librum lectores remittens abstinere se posse putet. Sed in eo quoque quo utitur libro Graeco fuisse oraculorum exempla, inde concludere possumus, quod certi enumerantur populi, quibus Pythius Apollo responsa dederit. Quos Ciceronem non ex sua tantum rerum Graecarum scientia enumerasse veri simile est propter commemorationem Tegeatarum, Argivorum, Corinthiorum, quibus quid Apollo responderit non tam pervagatum erat, quam nonnulla oracula Croeso, Atheniensibus, Lacedaemoniis edita. Ceterum oraculis quoque propria defensio explicatur § 37 inde a verbis: „defendo unum hoc" et q. s. et § 38.

Aggreditur deinde Cicero ad somnia (§ 39 sqq.), quorum magnum numerum enarrat improbatis Chrysippi de somniis et Antipatri de divinatione libris. Duo sunt exemplorum ab eo expromptorum genera; aut enim ad res Romanas pertinent aut ad exteras nationes. Illius generis exempla magna ex parte (§ 48, 49, 55, 56; praeterea § 77, 78) ad Caelium referuntur. Attamen Cicero non ipsius Caelii opere usus est. Legimus enim in epist. ad Att. XIII, 8: „epitomen Bruti Caelianorum velim mihi mittas et a Philoxeno *Παναιτίου περὶ προνοίας*." Hoc in Tusculano a Cicerone scriptum est mense Iunio

a. u. c. 709, quo tempore scriptionibus philosophis magnopere erat occupatus. Hac re et coniunctione cum Panaetii libro ad philosophiam pertinente efficitur, Ciceroni utroque libro opus fuisse ad componendos libros aliquos philosophos. Quocum optime consentit, quod iam in libris de deorum natura, quos aestate anni 709 eum tractasse scimus (cf. Schoemann. praef. ed. 2. p. 18), Caelianum aliquid profert (l. II, § 8). Ex epitome igitur illa Bruti Caelianorum eum et hoc et quae in l. I de div. narrantur exempla sumpsisse veri est simillimum[1]). — Exemplorum autem externorum plurima Cicero transtulit ex eo libro Graeco, cuius summam disputatione libri prioris exprimit. Hoc apertum fit ex dispositione in enarrandis somniis adhibita quodque tum, cum eam maxime significat, exempla Graeca leguntur. Quod ut probemus iam singula sunt percensenda. § 39 narratur somnium ex historia petitum, quod e Graeco sermone a Cicerone translatum esse vel Graecum Syracusanorum nomen declarare videtur, quo Cicero hic utitur; dicit enim Dionysium tyrannum Syracusiorum. Sed dispositio aliqua in sequentibus observanda nondum indicatur neque Cicero philosophi Graeci librum hic ad excerpendum adhibet, sed sine dubio Philisti, quem appellat, historiarum eam partem, quae erat de Dionysio (ad Qu. fr. II, 13). Itaque nunc quidem

1) Cf. quae de C. Fannio dicit H. Peter in vet. historic. Rom. reliquiis, p. CCVI: „C. Fannii mentio fit a paucis scriptoribus, primum a Cicerone. Qui tamen, etsi ei Fannii annales notos fuisse non abnuerim, vereor, ne ipsi Fannio epitomen, quam confecerat M. Brutus amicus (ad Att. XII, 5, 3), praetulerit, quam multum eum in Bruto scribendo volvisse et lectitasse ex epistulis videmus". Quod vero Wölfflinus (Antiochus von Syrakus und Caelius Antipater p. 50 sqq.) dicit: Einer der Excurse Ammian's (15, 10, 10) stellt sich — — bei näherer Prüfung als ächt cälianisch, ja höchst wahrscheinlich als ein Fragment der von M. Brutus gemachten epitome Coelii heraus, — id quidem probavit, expositionem illam Ammiani esse Caelianam, nullum autem attulit argumentum, cur eam ex ipsa Bruti epitome sumptam esse putemus. Neque quidquam aliud de hac scimus praeter ea, quae exposui, nisi quod probabilis est Teuffelii (litt. Rom. hist. ed. 1. p. 184) coniectura, propter coniunctionem cum Caelio ad epitomen Bruti Caelianorum referendum esse quod legimus apud Sosip. Charisium p. 131 ed. Lindemann.: „Subinde: Nepos de illustribus viris lib. II; sed et Brutus et Coelius frequenter eo usi sunt."

historia deseritur et ad fabulas revocamur (§ 40), ut inseri possint versus Ennii et Attii, praeterea Aeneae somnium a Fabio Pictore narratum (§ 40—45). Pergit autem Cicero: „Age nunc ad externa redeamus" nempe ad exempla historica a philosopho Graeco exhibita. Nam eum Heraclidi Pontico et Dinoni, ad quos hic provocat, illo tempore, quo scriptiones philosophas composuit, operam dedisse nemo putabit. — Quae § 47 sequuntur, hoc loco a philosopho Graeco exposita esse non potuerunt; non enim continent exempla somniorum. Neque vero nova disputationis pars, qua de alio divinationis arte carentis genere ageretur, aut cum antecedentibus coniungenda aut ipsa incipienda erat his verbis: „est profecto etiam in barbaris gentibus praesentiens atque divinans," neque postea his finienda: „haec de Indis et Magis". Sed cum animo Tullii, qui totum Stoici librum, antequam haec sua scripsit, certe perlustravit, forte obversaretur Callanus Indus et ab auctore Graeco et ab ipso aptius alio loco, de quo mox dicetur, commemoratus, praetermittere eum hic nolens ordinem turbavit. Quodque absoluta de Callano narratione Cicero dicit: „discedo parumper a somniis, ad quae mox revertar", etiam ipsis his verbis manifestum fit, apud scriptorem Graecum hoc loco illam de Magis narratiunculam, quae verba a me exscripta sequitur, non exstitisse, sed aut Ciceroni utpote pervulgata nota erat aut eam quoque legit in alia libri Graeci parte, hic autem ex Magorum (§ 46) et Alexandri commemoratione eius recordatus inseruit. Posterius veri similius est, quia notissimum quidem et pervulgatum erat, Alexandrum Magnum eadem nocte natum esse atque templum Ephesiacum incensum, minus autem fortasse, Magos tum Asiae perniciem praedixisse. Quod si verum est, habemus vestigium et particulam eius disputationis, quae in libro Graeco fuit de altero divinationis artificiosae genere, de iis scilicet, qui res novas coniectura persequuntur. Suspicio haec, Ciceroni quae § 47 narrat in mentem venisse ex recordatione eorum, quae antequam ipse librum suum scripsit in libro Graeco legerat, confirmatur eo, quod ceterorum exemplorum auctorem nuncupat aut ab ipso adhibitum aut iam in libris, quibus utitur, appellatum, hoc autem in narratiunculis illis

§ 47 expositis auctorum earum oblitus non facit. Ceterum in his exemplis vestigium est, e quo auctorem eorum Graecum cognoscere possimus; Callani enim mors (§ 47) ut exemplum affertur etiam § 64. Verbis iis, quae huius § initio leguntur: „divinare morientes illo etiam exemplo confirmat Posidonius“ Cicero nos admonet, se apud hunc philosophum complura illius generis exempla legisse; eorumque in numero etiam fuisse narrationem de Callano inde efficitur, quod et ubi mox iterum (§ 64 fin.) de morientium divinatione loquitur, eius facit mentionem, et quod haec Callani commemoratio hoc loco artissime cohaeret cum Posidonii argumentis ibi expositis.

§ 48 Cicero redit ad somnia, quorum duo proxima sunt Caeliana. Quod deinde apud Agathoclem in historia scriptum fuisse dicit, idem Diodorus Siculus XX, 29 narrat, ita tamen, ut non de somnio aut voce aliqua ab Hamilcare in somnis audita, sed de haruspicum ex victimarum extis praedictione loquatur. Putandum igitur, Diodorum et Ciceronem usos esse diversis fontibus. Illum accuratius rem referre ex tota eius narratione patet. Errores autem Tullianos facilius intellegemus, si putamus, Ciceronem suam relationem non in rerum scriptoris libro legisse, sed invenisse apud philosophum, qui non magnopere curabat investigare, quomodo res esset gesta. Accedit, quod vix credibile est, Agathoclem, quem Cicero dicit, esse Cyzicenum, rerum a Cyzicenis gestarum scriptorem, quod tamen pro certo exhibet Ger. Io. Vossius in l. de historic. graec. p. 379 ed. Westerm. Nam nullam excogitare possum rationem, qua in τοῖς περὶ Κυζίκου disserere aliquis potuerit de Hamilcare tam accurate, ut vel somnia non omitteret; contra eius Agathoclis, qui Hamilcaris illius tempore fuit Syracusanorum tyrannus, rerum gestarum descriptionem continuisse multa etiam de adversario eius Hamilcare unusquisque concedet. Itaque Cicero in libro suo Graeco legisse mihi videtur: Ἔστι δὲ ἐν τῇ τοῦ Ἀγαθοκλέους ἱστορίᾳ, idque non, ut debuit, intellexisse nempe in descriptione rerum ab Agathocle gestarum etiam Hamilcaris illud somnium referri, sed falso Ἀγαθοκλέους ἱστορίαν accepisse pro historia ab Agathocle scripta. Quodsi ita veri simile evadit, Ciceronem hoc exemplo revertisse ad Stoi-

cum, quem sequitur, Graecum, haec sententia etiam confirmatur eo, quod in universa hac exemplorum enarratione indicium est fontis Graeci, patefacta dispositione, quae in libro, quo utitur, adhibita erat. Dicit enim in fine § 50: „plena exemplorum est historia, tum referta vita communis.“ Iamque et propter speciem horum verborum et quoniam exempla historica praecesserunt, somnia exspectamus sumpta ex vita communi, sed frustra. Non enim placuerunt Ciceroni „minuta somnia“, quae hoc loco apud Stoicum sequebantur; „exemplis“ scilicet „grandioribus decuit uti“ (I, § 39); inseruit igitur P. Decium (§ 51). Deinde ad Stoicum redit dispositionem eius denuo indicans his verbis: „sed veniamus nunc si placet ad somnia philosophorum“. Eodem etiam, praeterquam quod verbis: „Est apud Platonem Socrates — — dicens“ (§ 52) aperte vertuntur Graeca: ἔστι παρὰ τῷ Πλάτωνι Σωκράτης λέγων, id, quod legimus § 54, pertinet: „adiungamus philosophis — — poëtam“. Ceterum mirum quantum Ciceronis narratio de Sophocle, quae hic sequitur, differat ab ea eiusdem rei expositione, quae exstat in vita Sophoclis (Schol. in Soph. ed. G. Dindorf. p. 4) ibique refertur ad Hieronymi, certe Rhodii, qui Aristotelis fuit discipulus, librum de corona aurea.

Ut copia amplior fiat et varietas existat, § 55 et 56 duo exempla Romana proferuntur ad Caelium relata, sequuntur duo Graeca, quae ne temere certo cui Stoico tribuamus, vetant verba: (c. 27 § 56) „quae creberrime commemorantur a Stoicis.“ Cumque ea non inserta sint dispositioni Graecae, in qua tamen Arcadis somnium verbis: [exemplorum est] „referta vita communis“ (§ 50 fin.) aptissime subici, Simonidis (§ 54) in somniis poëtarum collocari potuit, neque vero suspicari liceat, Ciceronem ea memoriter protulisse, quoniam satis diligenter sunt enarrata, credere debemus, eum haec duo somnia reperisse in alio libro Graeco atque is est, quem ceteroquin excerpit. Suidas s. v. τιμωροῦντος Arcadis somnium ad Chrysippum refert; sed eius narratio a Ciceronis tam est diversa, ut appareat, hunc sua non habere ex Chrysippi libro. Unde vero habeat, in quaestione demum de alterius libri Tulliani fontibus disceptari poterit. Postquam Cicero Arcadis somnio iam nihil divi-

nius dici posse concessit (§ 57 fin.) tamen eandem divinitatem tribuit suo de reditu in patriam somnio (§ 59 fin.), quod ut taceret a se impetrare non potuit, quamquam libro altero omnia huius generis vehementer refutat.

Iam sicut divinatio ex oraculis propriis rationibus defendebatur (cf. p. 15), hic somniorum sequitur defensio et divinationis ex animi concitatione (§ 60—65). Huius disputationis summam ad Posidonium referendam esse non solum concludi potest inde, quod Carneades denuo respicitur (§ 62), sed etiam clare elucet ex § 64, ubi Cicero Posidonii exempla et argumenta exponit. Neque vero haec eum habere ex alius philosophi de Posidonio expositione, sed ex huius ipsius libro, apparet ex ratione, qua quae de Posidonii sententiis dicit expromit. Verba enim: „divinare autem morientes illo etiam exemplo confirmat Posidonius“ demonstrant, Ciceronem apud eum et plura divinationis morientium exempla legisse (quod aliam ob causam iam p. 18 monui), et id, quod his confirmabat Posidonius, nempe argumenta illius divinandi generis, quae apud Tullium exstant ante verba illa a me exscripta (§ 63). Porro ex iis, quae proxime sequuntur: „sed tribus modis censet (Posidonius) deorum adpulsu homines somniare“ efficitur, Posidonium in hoc sententiarum ordine praeter deorum appulsum etiam alias ex somniis divinandi causas exposuisse et fortasse harum quoque modos distinxisse. Huc pertinebant, quae § 63 legimus praeter explicationem divinationis morientium.

Additis divinationis, quae „ex concitatione quadam animi“ fit, exemplis, quae ut sumpta ex Romanorum poëtis, Plauto (§ 65) et fortasse Ennio (§ 66 et 67), ac rebus gestis (§ 68) certo ordine non sunt disposita (cf. p. 16), Cicero finem facit tertiae totius disputationis parti, quae est de divinatione naturali (cf. p. 15). Spectat quidem ad praecedentia etiam ratiocinatio Cratippi; sed apparet, eam neque cum illis neque cum sequentibus arte esse coniunctam. Ceterum de Cratippo mox accuratius disputabitur.

Redit deinde Cicero ad explicanda artificiosa divinandi genera (§ 72—81). Mirari debemus, quod haec a Cicerone hoc demum loco proponuntur, non ubi Graecam de divina-

tione artificiosa disputationem, quamquam brevissime, excerpit (§ 35—37). Id omnino tum non erat faciendum, si ei in animo fuit, copiosius de artificiosa divinatione disserere. Neque tamen latet causa iteratae tractationis. Apparet enim, Ciceronem, cum opus continuaret, sensisse, festinationi illi, quacum superiore loco in descriptione divinationis artificiosae versatus est, non convenire copiam verbosam in somniis defendendis adhibitam. Ea igitur, quae supra nimis breviter disserta fuerunt hic exemplis potissimum compensaturus ad alteram operis Graeci partem redit. Ex ea partitionem orationis servavit, quam quidem vel tum significet, cum eam omnino non curat. Nam praeter duo priora partitionis membra, quorum alterum est de divinatione ex iis, quae „posita sunt in monumentis et disciplina", alterum de iis, quae „subito ex tempore coniectura explicantur" § 72 additur tertium verbis: „fiunt certae divinationum coniecturae a peritis" (§ 78 c. 36), sed eiusmodi exempla ei non subiunguntur, si quidem in narrationibus de Mida et de Platone interpretum omnino non fit mentio, nedum peritorum. Partitionem igitur Ciceroni Stoici liber suppeditavit, exempla autem haec certe duo alius. Quae praeterea in hac parte leguntur e rebus Graecorum portenta, eorum id, quod est de Dionysio (§ 73), e Philisto sumptum est idque ex eadem certe operis parte ac somnium matris Dionysii (§ 39), nempe ex initio libri de Dionysio primi. Nam utroque exemplo narrantur res, quae acciderunt ante, quam is factus est Syracusanorum tyrannus. Qua re demonstratur et eo, quod exemplum e Philisto sumptum primum est somniorum a Cicerone narratorum (§ 39), confirmatur, eum ad conquirenda divinandi exempla historica aggressum esse lectionem operis Philistei. Neque tamen multum temporis in ea consumpsit; nam illa duo tantum exempla ex Philisto profert, cum hunc, siquidem duo illa non respuit, etiam plura eius generis narrasse veri simile sit. Commodiores Tullius adiit fontes, philosophorum scilicet Graecorum libros, in quibus magnus exemplorum numerus iam erat collectus. Eam ob causam ne Callisthenis quidem, quem § 74 appellat, *Ἑλληνικά* eum evolvisse censendum est. Neque tamen credibile est, apud Posidonium aut

alium quemquam Stoicum extitisse portenta § 74—76 exposita. Xenophon enim (Hell. VI, 4, 7) narrat, fuisse qui dicerent, *ὡς ταῦτα πάντα* (portenta Thebana) *τεχνάσματα ἦν τῶν προεστηκότων* et magna apud Stoicos fuisse auctoritate scripta Xenophontea conicere possumus ex iis, quae de Zenone dixi Xenophontis studiosissimo (p. 6). Ubi vero Cicero et portenta illa et quae § 78 c. 36 de Mida et Platone narrat invenerit, in quaestione de fontibus alterius libri elucebit.

Quae post mirabilem Roscii eventum ab Archia poëta versibus celebratum (§ 79) exponuntur, sine ullo ordine effusa sunt, neque tamen vestigiis fontis Graeci carent. Nam ad hunc certe referenda sunt, quae de Democrito, Platone, Aristotele legimus, sed putandum, haec apud philosophum Graecum iustiore loco quam apud Ciceronem extitisse, nempe in disputatione de eo divinandi genere, quod fit ex concitatione animi. Sequitur ratio, qua Stoici concludebant, re vera esse divinationem. Ciceronem eam non legisse in eorum Stoicorum, quos § 84 ut testes eius nuncupat, Chrysippi, Diogenis, Antipatri libris, p. 14 exposui. Itaque restare videtur solus Posidonius. Attamen est, cur negemus, Ciceronem apud eum argumentationem illam invenisse. Hanc enim a Posidonio iam non esse probatam concludere licet primum inde, quod, qui initio comprehenduntur una Stoicorum voce (§ 82: „quam quidem esse re vera hac Stoicorum ratione concluditur“), in fine accurate enumerantur (§ 84: „hac ratione et Chrysippus et Diogenes et Antipater utitur“). Illorum in numero si Posidonius quoque fuisset, a Cicerone ut gravis Stoicus et ipsi notissimus non esset praetermissus. Praeterea si Posidonius quoque ratiocinationem illam in libro suo habuisset, omnino nullam videremus causam, cur ea esset posita extra omnem cum reliquis libri partibus coniunctionem, non inserta universae divinationis defensioni, quam libri sui parte prima Ciceronem Posidonio duce exposuisse demonstravimus. Denique si Tullius conclusionis illius testes apud Posidonium invenisset appellatos iis assentientem, magnopere esset mirandum, e philosophorum secta unum sententias ab ipso quoque defensas ad philosophos antecedentes ante ipsum eadem placita amplexos referre cum cura tam minuta tamque

sollicita, quam Posidonium id fecisse accipiendum esset — id quod ab usu cum recentiorum tum veterum philosophorum omnino abhorret. — Id vero nemo putabit, Posidonium ratiocinationem illam tam accurate et cum testibus exhibuisse, ut eam refutaret; acer divinationis propugnator et defensor argumenta eius reiciendae certe non auxit. Iam concedetur, rationem illam, qua Stoici re vera esse divinationem concludebant quamque Cicero l. I § 82 et 83 exponit, a Posidonio non esse probatam ideoque in scripto, quo divinationem defendebat, omissam. Certe autem probasset, nisi ab aliis demonstratum esset, eam retineri non posse. Unde vero Cicero eam habeat, quaestione de alterius libri Tulliani fontibus apparebit.

Iis, quae apud eum legimus inde a § 84, aperte iam non certum aliquod divinandi genus tractatur, sed nova initur disputationis pars, quae ut quarta accedit ad eas tres, in quibus auctorem Graecum a Cicerone adhibitum esse vidimus (cf. p. 20). Nam quae c. 33—38 exponuntur, his Cicero compensare voluit eas disputationis antecedentis partes, quae ei videbantur esse nimis contractae et parum completae (cf. p. 21); qua re totius libri ordinem non solum non continuavit, sed perturbavit. Quarta igitur universae disputationis pars quid contineat, Cicero § 86 significat his verbis: „cur fiat quidque quaeris? recte omnino, sed non nunc id agitur; fiat necne fiat, id quaeritur." Fortasse dixerit quispiam, hoc Ciceronem iam prima libri parte satis illustrasse. Sed si quis accurate hanc quartam partem cum prima confert, inveniet, quibus differant. In principio enim Quintus universe divinationem ita defendit, ut quae obstare videantur, quominus eam amplectamur, conetur refutare, provocans praecipue ad aliarum rerum, velut medicinae similitudinem et ad ipsius divinationis vim et eventum (§ 16: „hoc sum contentus, quod — — quid fiat intellego. — — vim et eventum agnosco, scio, approbo"); contra hac quarta parte demonstrat, quibus rebus divinatio confirmetur quaeque testimonio sint, eam re vera fieri. Dividitur haec expositio in complures particulas: primum ex antecedentibus congeruntur ea, quibus divinatio confirmatur (c. 39), deinde eiusdem generis argumenta colliguntur ex „clarissimis monumentis testata con-

signataque antiquitate“ (c. 40 et 41), porro e locis, quibus divinationis quaedam genera floruerunt (c. 42), denique ex eo, quod „in optima quaque republica plurimum auspicia et reliqua divinandi genera valuerunt“ (c. 43 eqq.). Hanc partitionem a scriptore Graeco Ciceronem mutuatum esse praeter eas res singulas cum ea connexas, quae Graecae sunt et eam praebent speciem, ut Romano quamquam erudito ex ipsius scientia eas praesto fuisse non sit verisimile (velut § 88 in., 91. 95. 96), etiam hoc denuo fit manifestum (cf. p. 16), quod eatenus dispositio et significatur et observatur, quoad cum ea coniuncta videmus exempla Graeca, cum mox quasi evanescat in exemplorum Romanorum copia (§ 97—108).

His absolutis Cicero dicit: „sed ut, unde huc digressa est, eodem redeat oratio“ (§ 109), quibus verbis ultimam facit libri sui incisionem et transit ad quintam totius disputationis partem et ipsam ultimam. Continet ea totius divinationis rationes philosophas, maximi igitur ad illam probandam est momenti. Itaque hic quoque sicut initio primae partis Carneades reiciendus fuit Stoico Graeco, qui eius reprehensiones novit quemque Cicero etiam in tota ultima parte sequitur. Errat C. Wachsmuth (Die Ansichten der Stoiker über Mantik und Daemonen p. 20 not.), cum putet, § 110 Cratippi placita exponi. Huic sententiae obstant, quae leguntur § 109. Ibi enim utriusque divinandi generis rationem exstare contenditur, Cratippus autem tantum naturale probavit. Atque ex ratione, qua § 113 Cratippus commemoratur, apertum fit, eius mentionem hic pari modo a Cicerone ipso inseri atque § 70 sq. et § 5. Eo quem ultimum posui loco (et § 113) Dicaearchi Peripatetici commemoratione Cicero commotus est, ut ei Cratippum, quem summis Peripateticis parem existimabat, adiungeret, et propterea deinde § 70 sq. eius ratiocinationem argumentis Stoicis memoriter ut videtur adiecit. Nam Cratippi de divinatione librum Ciceronem non habuisse sed aut sermonibus cum Cratippo habitis aut epistulis comperisse, quid hic de divinatione sentiret, inde elucet, quod identidem (§ 70 et 71) dicit, Cratippum uti solere illa ratione § 77 exposita. Cratippus is, quem Tertullianus (de anim. 46) nuncupat inter commentatores

et affirmatores divinationis ex somniis probandae, num idem fuerit atque Peripateticus a Cicerone laudatus, non videmus.

Quinta igitur disputationis parte Cicero, ut dixi, rationes explicat divinationis. Cuius utrumque genus primum a deo repetit (§ 109—124). Iam haec referenda esse ad Posidonium apertum fit ex his causis: § 125 legimus „quocirca primum mihi videtur, ut Posidonius facit, a deo, de quo satis dictum est, — — vis omnis divinandi ratioque repetenda". Deinde quae § 118 Stoice exponuntur, l. II § 35 referuntur ad Chrysippum, Antipatrum, Posidonium. Ne hic quidem quisquam censebit, Ciceronem horum omnium libros contulisse; sed certo ultimi tantum expositionem legit, reliquos duos appellatos invenit, idque non apud Posidonium, sed apud eum philosophum, quem altero libro sequitur. Quod si non ita se haberet, eos non in altero demum libro appellasset, sed iam in priore. — Denique legentes revocantur (§ 117) ad Ciceronis alterum de nat. deor. librum, in quo eum Posidonium secutum esse veri est simillimum (cf. Schoemann. ed. 2. p. 15). In repetenda divinatione a fato et a natura Cicero ipse § 125 Posidonium se sequi testatur.

Iam et ex universa totius libri Tulliani partitione — in quinque enim partes, ut vidimus, continua disputatio dividitur — et ex singulis vestigiis, quibus Posidonium a Cicerone adhibitum esse apparet, efficitur, Ciceronis librum priorem de divinatione exceptis compluribus exemplis et iis, quae memoriter profert, ab eo compositum esse excerpendis Posidonii περὶ μαντικῆς libris quinque (cf. p. 5). Quorum in primo, ut ex iis, quae de quinque disputationis Tullianae partibus disserui, apparet, Posidonius divinationem universe defendit, altero demonstravit, divinationem artificiosam re vera esse, tertio idem de ea, quae arte caret, quarto quibus rebus divinatio confirmetur, quinto, quae eius sit ratio

II. De fontibus libri alterius.

Sicut in quaestione de fontibus libri prioris initium inde erat capiendum, ut statueretur, cuius philosophorum sectae decreta de divinatione libro illo exposita essent, etiam de fontibus alterius libri quaerentes primum videamus, qui fuerint philosophi, quorum de sententia Cicero hoc altero libro de divinatione disputationem instituit. Neque cuiquam ea de re dubitatio remanet, qui eum semel accurate perlegerit; apertum enim est, Ciceronem ex decretis et philosophandi ratione Academicorum recentiorum, quorum summum studium in eo positum erat, ut Stoicorum philosophiam refutarent, horum de divinatione sententias refellere et reicere. Praecipue autem eum niti argumentis Carneadeis cum ex crebra Carneadis in libro altero appellatione tum inde apparet, quod et initio totius de divinatione operis et in fine Cicero diserte pronuntiat, se illius potissimum philosophi auctoritate commotum et opera adiutum Stoicorum dogmata refellere. Dicit enim I, 7, sibi ipsi quaerenti, quid sit de divinatione iudicandum, quod a Carneade multa acute et copiose contra Stoicos disputata sint, faciendum videri, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparet, et promittit, se in disquisitione de divinatione eadem usurum esse via ac ratione atque in libris de natura deorum. Quorum altero Stoicorum exponit de diis doctrinam, tertio contra eam disputat Academicorum argumentis. Id igitur etiam libris de divinatione facere Ciceroni in animo fuit, atque continet liber prior Stoicorum de divinatione sententias; librum alterum igitur Academicorum rationes contenturum esse suspicemur oportet vel ante, quam eum legimus, simulque propter Ciceronis pronuntiationem supra allatam exspectamus, rationes has Academicorum nixuras esse acumine Carneadis. — In fine autem totius operis vituperantur Stoici propter divinationis ex somniis defensionem; quae iis hic tribuitur laus et auctoritas non quadrat in Stoicos temporis illius, quo Cicero haec scripsit, sed apertum est, eum ex opere Graeco illa transtulisse ea aetate scripto, qua Stoici Academicis sum-

mum exhibuerunt negotium, nempe Carneadis et Clitomachi tempore. Quocum etiam alia res consentit, quae simul testimonio est, Ciceronem argumentis Carneadeis usum esse. Carneadem enim magnopere laudat, quod restiterit Stoicorum licentiae (II, § 150), et pergit, omnem sibi cum his esse disceptationem contentionemque. Se igitur idem munus atque illum suscepisse profitetur. Denique ex Academiae more se librum scripsisse testatur, cum affirmat, se semper retenturum esse Academicorum disputandi rationem. Sed concedendum, Ciceronem, quamquam in universum Academiam sequitur, tamen non tantum expressisse Latine unum librum Graecum huc pertinentem, sed et ipsum, quem quidem in hunc librum scribendum satis studii et diligentiae impendisse manifestum est, ex suo ingenio haud pauca addidisse, et alios praeter Academicum adhibuisse scriptores. Certum id est de Panaetio Stoico; quin etiam in toto libro Cicero multis partibus hunc secutus esse videtur van Lyndeno (in libro quem scripsit de Panaetio Rhodio p. 71). Id vero iam eo refellitur, quod Panaetius Cicerone ipso teste (I, 6) „degeneravit quidem a Stoicis nec tamen ausus est negare vim esse divinandi, sed dubitare se dixit“ eique de ea re non licuit (I, 6), contra Cicero libro suo divinationem omnino tollit. Accuratius de Panaetio a Cicerone adhibito alio loco disputabitur; nunc videamus, cuiusnam Academici libro Cicero uti potuerit. Carneades ipse secundum Diog. La. IV, 65 scriptiones philosophas non composuit, sed discipuli placita eius litteris mandarunt. Quorum eos, qui aliqua laude digni fuerunt, Cicero enumerat in Acad. pri. II, 6, 16: „industriae plurimum in Clitomacho fuit — declarat multitudo librorum —, ingenii non minus in Hagnone, in Charmada eloquentiae, in Melanthio Rhodio suavitatis; bene autem nosse Carneadem Stratoniceus Metrodorus putabatur.“ In his certe is est, cuius scriptum Cicero in libro altero adhibuit. Nam ex eo, quod huius libri Graeci auctor magna cum cura Carneadis tantum rationem habet et eius tantum sententias expromere studet, omissis reliquis Academicis, apparet, illum fuisse aliquem Carneadis ipsius discipulum. Idque eo firmatur, quod qui illos in Academia subsecuti sunt, — Philonem dico

et Antiochum, — non integram servaverunt Carneadis disciplinam. Praecipue Antiochus multa etiam ex Stoicorum philosophia amplexus erat, quorum ipsorum sententiae Ciceroni erant reiciendae. De Philone autem propterea quoque nobis non est cogitandum, quod Cicero, ubi de sententia sua de eo loquitur (quod non fit Ac. pri. II, 18, ubi Luculli legitur sermo), eum ut praeceptorem suum gravemque philosophum laudibus extollere solet; certe igitur, si qui fuisset Philonis liber de divinatione contra Stoicos scriptus, id in libro suo, de quo agimus, ut magnum eius praedicasset meritum, cum videamus, in toto opere omnino nullam eius fieri mentionem, neque vestigium quide mullum exstare, ex quo de Philonis libro a Cicerone adhibito conicere aliquid possimus. Idem valet in Hagnonem, Charmadam, Melanthium Rhodium, Metrodorum Stratoniceum, quos Cicero l. l. nominat, atque etiam in Aeschinem et Metrodorum Scepsium, quos ut Carneadis discipulos praeter illos Ciceronem novisse compertum habemus (cf. Zeller. de philos. Graec. III, 1, p. 479), si quidem casu factum esse putandum sit, ut de scriptis horum omnium excepto alteroutro Metrodoro (Ac. pri. II, 78) omnino nullum exstet testimonium, non existimandum, eos scripta non composuisse. Contra atque de his iudicandum nobis est de eo Carneadis discipulo, qui solus restat, de Clitomacho. Is secundum Diog. La. IV, 67 plus quadringentos libros scripsit, Carneadem in Academia subsecutus est, eiusque potissimum placita scriptionibus suis illustravit. Ciceroni autem Clitomachum graviorem fuisse de Carneade testem quam Philonem aut Metrodorum apud ipsum legimus Ac. pri. II, 78; cf. etiam Ac. pri. II, 98. In Clitomachi scriptis etiam fuisse aliquod de Stoicorum de divinatione decretis ex ipso librorum numero suspicandum nobis esset, etiam si nullum aliud exstaret eius rei vestigium, praesertim quod Stoici divinationem haud parvi aestimabant eamque ob causam eo magis adversarios ad impugnandum excitabant. Re vera autem aliquod eiusmodi opus Clitomachi fuisse tamquam fundamentum libri de quo agimus Tulliani, iam nobis est demonstrandum. Quod sicut in quaestione de libro priore hic

quoque ita optime institui putamus, ut totum librum perlustremus.

Postquam Cicero scriptiones suas philosophas enumeravit exposuitque breviter, quibus de causis illo tempore, quo hunc librum scripsit, philosophiae se dederit, a Quinto fratre quaerit, quarumnam rerum divinatio sit, id quod inprimis Carneadem quaerere solitum esse testatur. Iam hic huius discipulum auctorem fuisse Ciceroni cognoscimus, qui etiam aliis scriptionum philosophorum locis Carneadea ita expromit, ut dicat, Carneadem solitum esse aliquid dicere vel quaerere, et in ea re aut illo verbo ipso utitur aut aliter eius vocabuli sententiam significat. Testem autem et relationis suae auctorem iam in iis libris, qui non continent Academicorum rationes, raro Cicero appellat, velut Tusc. III, 59; de fin. V, 16; etiam rarius, ubi de Carneade aliquid profert in iis libris, in quibus eum Clitomachum secutum esse certum est; cuius quidem nomen omnino non exstat in l. III de nat. deor. (cf. Schoemann. ed. II, p. 16), paucis locis in altera parte l. II Ac. pri.; uno loco legitur in altero de div. libro, de quo posthac dicemus. —

Quaestionem illam, quarum rerum divinatio esset, tractans Cicero reminiscitur, argumentationem suam non respondere orationi fratris, qui quidem cauta divinationis definitione usus sit eamque dixerit earum rerum praedictionem et praesensionem, quae essent fortuitae (II, 13). Attamen id ne verum quidem est, certe non accuratum; nam Quintus etiam cautius divinationem dixerat praedictionem atque praesensionem earum rerum, quae putarentur fortuitae (I, 9). Haec definitio manifesto ita excogitata est, ut emendaretur ea, quam fratris fuisse falso Cicero contendit. Quoniam autem demonstravimus, illam in libro priore propositam referendam esse ad Posidonium, atque scimus, a Chrysippo divinationem aliter definitam fuisse (cf. p. 7), iam consequitur, eum Academicum Graecum, cuius libro in hac scriptionis parte Cicero usus est, refutare studuisse Stoicos, qui post Chrysippum et ante Panaetium fuerunt sectae suae principes. Nam Panaetium cum de divinatione dubitasse sciamus, non est veri simile, eum proposuisse propriam aliquam divinationis definitionem; Posidonius autem eius fuit

discipulus. Post Chrysippum et ante Panaetium divinationem scriptis tractaverunt Diogenes Babylonius et Antipater Tarsensis, quorum ille circa annum centesimum quinquagesimum ante Chr. mortuus est (cf. Zeller. l. l. p. 41), hic intra hunc et centesimum undetricesimum Athenis philosophiam docuit; hoc enim anno eum mortuum esse aut paullo ante inde apparet, quod Carneades secundum Diog. La. IV, 64 ei superstes fuit. Antipater igitur potissimum Carneadis fuit aequalis, atque inter hos praecipue acris fuit ea contentio, quam illo tempore Academici habuerunt cum Stoicis; cf. Diog. La. l. l. Ac. pri. II, 17; 28; Ac. post. fr. 1 apud Baiterum (ed. Tauchn.). Certe igitur Carneades et Clitomachus rationem habuerunt Antipatri in disputando de Stoicorum de divinatione sententiis, quin etiam refutatis huius de illa decretis tota Stoicorum de divinatione doctrina refutata fuit, si quidem veri simillimum est, Antipatrum eas superiorum Stoicorum sententias vel abiecisse vel mutasse, quae ipsius tempore probari iam non potuerunt, ita ut Academicorum refutatione illarum iam non opus esset. Antipatri igitur divinationis notio Carneadi erat reicienda, atque ad illum, non ad Diogenem Babylonium — de his tantum duobus dubitatio remanserat — referenda est definitio divinationis a Cicerone in altero libro reiecta (§ 13). Quod autem scriptor Graecus, a quo Cicero sua sumpsit, in hac divinationis notione refutanda constitit neque rationem habuit posterioris a Posidonio prolatae, eo efficitur, illum scripsisse librum suum ante Posidonium eumque esse Clitomachum. Tum demum, cum hoc conceditur intellegimus, quomodo factum sit, ut universa Ciceronis refutatio, quam altero libro legimus, tam parum accommodata sit ad librum priorem excerpendo Posidonio confectum, si quidem ordinem rerum tractatarum spectas, contra in libro priore non solum cautissima illa definitione, sed etiam aliis locis, ut videbimus, ratio habita esse videatur eorum, quae altero libro opponuntur — quantum quidem haec evitari potuerunt.

Absoluta disputatione, qua universe demonstretur, nullam esse divinationem, Cicero divisionem, secundum quam de rebus singulis libro priore tractatis disserturus est, perspicue et

optimo ordine proponit (c. 11). Cavendum autem est, ne quis propter elegantem huius divisionis speciem putet, eam magis esse perfectam et expolitam, quam quae fundamentum est libri prioris, quod si esset verum probari fortasse non posset, hanc referendam esse ad Posidonium, illam ad Clitomachum. Efficitur enim ex libro priore haec divinationis divisio (§ 12, 34, 72, 109): duo sunt divinationum genera, unum quod particeps est artis, alterum quod arte caret (§ 34); illud est artificiosum, hoc naturale (72). Est ars in iis, qui novas res coniectura persequuntur, veteres observatione didicerunt (34); huc pertinent primum qui ex extis, fulgoribus, portentis futura praedicunt (109. 12), quos etiam uno haruspicum nomine complectimur (72), deinde augures et coniectores (72), sequuntur astrologi (12. 109), denique qui ex sortibus divinant (12). Naturalis divinatio est somniantium et vaticinantium per furorem (12. 34). Iam videmus, libri prioris divisionem non solum non minus esse distinctam, sed etiam paullo accuratiorem et uberiorem, quam alterius. Nam in hac tria priora artificiosae divinationis genera, etsi a reliquis interposito „tum“ distinguuntur, tamen non unius haruspicinae nomine comprehenduntur. Sed sicut in copiosa illorum trium refutatione in libro altero hanc comprehensionem a Cicerone ipso adhibitam esse videmus (§ 28, 42, 49), in priore quoque libro id ab ipso factum esse concedendum est propterea, quod hanc haruspicinae vocem Graecam invenire non potuit, animadvertendum autem, Tullium non dubitasse eam inculcare discerptae divisioni libri prioris, contra non addidisse divisioni alterius, quam igitur integram ex Graeco transtulit. — Praeterea in alterius libri divisione omittuntur astra et sortes, quae defendebantur a Posidonio. Ut intellegamus, quomodo de sortibus egerit scriptor Graecus, quem Cicero in libro altero sequitur, iam hic afferenda sunt, quae leguntur § 87: „Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum, nusquam se fortunatiorem quam Praeneste vidisse fortunam“. Inde manifestum fit, Ciceronem habere in manibus talem Clitomachi librum, quali ei opus fuit ad refellenda Stoicorum de divinatione dogmata; nam in eiusmodi tantum libro Clitomachus apte proferre potuit Carneadis

facete dictum de sortibus Praenestinis. Quamquam autem id factum esse videmus, tamen Clitomachum non necessarium duxisse copiose de sortibus agere neque enumerare quidem eas propterea ut proprium genus efficitur ex Ciceronis earum tractatione. Cuius quidem de iis disputatio continet fere tantum enarrationem, quomodo sortes inventae sint, Praenestinorum monumentis traditam et certo ex ipsius scientia compositam. Quae vero huic antecedunt: „dicendum igitur putas de sortibus?", quae sequuntur: „sed hoc quidem genus divinationis vita iam communis explosit", quibus hic de sortibus locus finitur: „ergo hoc divinationis genus omittamus" — haec omnia id quod posui demonstrant. Accedit mira qua Cicero Carneadis dicto utitur ratio. Dicit enim, in volgus tantum tunc Praenestinorum sortium nomen retineri; ceteris vero in locis sortes plane refrixisse atque id censuisse etiam Carneadem dicentem, nusquam se fortunatiorem quam Praeneste vidisse fortunam. Haec quam parum inter se congruant unusquisque videt, atque apparet, Ciceronem de sua sententia addidisse, quae Carneadis dicto praecedunt, apud Clitomachum autem tantum haec fere scripta fuisse: de sortibus non opus esse dicere; inveniri eas quidem paucis locis, praecipue ubi vetustate aliqua superstitionis commendarentur, velut Praeneste, Carneademque dicere solitum esse, nusquam se cet., attamen in universum iam a vita communi eas esse explosas, posse igitur omitti. — Causa vero, cur Cicero sortes, quamquam breviter, tractaret, ea est, quod ut ipse testatur, eius tempore fuerunt, qui sortibus Praenestinis aliquid tribuerent. — Iam de astrologia Cicero apud Clitomachum nihil invenit, sed quae de ea profert (c. 42—46) eum sumpsisse a Panaetio demonstratum est p. 13. Neque vero negotium fuisse Clitomacho refutandae astrologiae, credemus, si meminerimus, Carneadi et Clitomacho potissimum cum Antipatro fuisse contentionem (cf. p. 30), hunc autem in suis de divinatione libris de astrologia non disseruisse (p. 13). Non igitur mero casu neque neglegentia tantum (quod de Chaldaeis censuit Christius in editione scriptionum Tullii philosopharum Turicensi altera) factum est, ut in divisione illa libri alterius neque sortium

neque Chaldaeorum mentio fieret; immo tantum abest, ut Cicero hanc divisionem aut totum alterum librum neglegenter confecerit, ut accurate auctoris sui divisionem integram expresserit, ordinem eius suis additamentis non turbans. Omninoque id egisse videtur, ut libri Graeci speciosam etiam formam, non solum sententias exhiberet atque illa servata has etiam probabiliores redderet. Contra in libro priore propter ordinem inversum et magnam exemplorum copiam, quae rem ipsam obruit, iam forma neglecta lectores deterrentur, ne rem amplectantur.

Animadvertendum deinde hic quoque est (cf. p. 30), opprobriorum huic divisioni adiunctorum rationem iam habitam esse videri in libro priore: de testimoniis secundum adversariorum sententiam casu veris responsum illis est I, 23, imprimis his verbis: „sic enim se profecto res habet, ut numquam perfecte veritatem casus imitetur"; tota autem quae his praecedit disputatio diserte fit cum Carneade dicitque Quintus: „quid? quaeris, Carneades, cur haec ita fiant? — — casu, inquis" cet. Suspicioni autem, testimonia esse malitia falsa et ficta, opposita esse videntur, quae legimus I, 37: „collegit innumerabilia oracula Chrysippus nec ullum sine locuplete auctore atque teste."

Sequitur (§ 28) disputatio de divinatione ex extis, quae in divisione quoque fuit primum divinationis artificiosae genus, commemoranturque haruspices Poeni. Iam si de Eliis et Aegyptiis vel Cicero ipse vel certe scriptor natione Graecus quid compertum habuit — de familiis duabus Eliis haruspicina claris Posidonius quoque scripsit, cf. I, 91 — num idem statuemus de Poenorum haruspicibus? An concedendum erit, Ciceronem excerpere librum alicuius Graeci scriptoris, qui cur Poenorum quoque haruspicinam noverit adventicia debet esse causa, nempe Clitomachi Carthaginiensis. In reprehensione Stoicarum de extis ineptiarum irridet Cicero Chrysippum, Antipatrum, Posidonium (§ 35). Quorum primus ut Stoicorum gravissimus appellatur, ultimum Cicero ipse induxit, cum non oblitus esset, se de Posidonii libris sententiam hoc loco reprehensam sumpsisse (cf. p. 25). Antipatri autem appellandi quae

fuerit causa non dubium relinquitur, si credimus, Clitomachi librum a Cicerone adhiberi; cum Antipatro enim potissimum ex Stoicis certamen fuisse Carneadi eiusque discipulo Clitomacho p. 30 exposui.

§ 41 haec legimus: „divinatio perspicue tollitur, deos esse retinendum est.“ Fortasse aliquis credat, talia dici non potuisse ab Academico de omnibus rebus dubitanti, neque igitur de Clitomacho Ciceronis auctore esse cogitandum. Sed ex huius ipsius libro Cicero in l. III de nat. deor. (§ 44) haec refert: „haec [quae pertinent ad deos populares reiciendos] Carneades aiebat, non ut deos tolleret, — quid enim philosopho minus conveniens? — sed ut Stoicis nihil de dis explicare convinceret; itaque insequebatur.“

Extispicum divinatione refutata sequuntur fulgora (§ 42); demonstratur, quae de eorum natura Stoici disputent obstare iis, quae de divinatione ex iis proferant. De fulgorum fulminumque secundum Stoicos natura disseruntur fere consentanea iis, quae ut placita illorum de his rebus apud alios scriptores exstant (cf. Zeller l. l. p. 177); id annotemus oportet, Posidonii de illis sententiam (Senecae quaest. nat. II, 54) a Ciceronis relatione eo differre, quod in hac simplicius fulminum natura refertur ad anhelitus frigidos, cum apud Posidonium accuratius et artificiosius distinguantur sicci et fumidi anhelitus ab humidis, deque frigidis iam non sit sermo. Miraremur, Ciceronem de his rebus non inspexisse familiaris sui Posidonii librum, nisi videremus, hanc explicationem naturae fulminum de sententia Stoicorum sumptam esse a Clitomacho, qui Posidonium nondum impugnabat. — Qui quomodo occurrerit Carneadis et Clitomachi sententiae, quae legitur in fine huius de fulgoribus disputatione, posse casum veritatem imitari, iam dictum est p. 33.

Transit deinde Cicero c. 22 ad refutandum tertium haruspicinae genus, mox autem narrationem profert de haruspicinae ortu ab Etruscis tradito suumque de illa iudicium exponit (c. 23 et 24). Eam sumptam esse ex alio fonte atque quae praecedunt aut sequuntur, certissimis apertum fit indiciis. Imprimis animadvertendum est, interruptam esse orationem.

Nam initio c. 22 Cicero ostenta restare dicit et ea refutat, breviter quidem, attamen ita, ut ad demonstrandum quam perversa sit ex iis divinatio, satis dictum esse possit atque appareat, Graecam de ea re disputationem copiosiorem a Cicerone esse contractam. Pergit deinde: „sed quid plura?“ et putamus, reprehensionem ostentorum esse finitam. Tamen in fine c. 24 § 53 legimus: „sed haec hactenus; nunc ad ostenta veniamus“, quasi nihil adhuc de ostentis dixisset Tullius, et sequitur de iis disputatio copiosissima, quam § 70 demum verbis: „satis multa de ostentis“ alia excipit cuiusque summa paucis verbis iam c. 22 erat exposita. Id manifestum fit si comparatur cum c. 22 potissimum § 61, ubi etiam exempli superiore parte refutati, partus mulae, iterum mentio fit, ut appareat, etiam apud Clitomachum hoc exemplum extitisse. — Accedit quod Cicero contra consuetudinem suam legentes multis verbis admonet, se narrationem illam de haruspicinae ortu habere ex Etruscorum ipsorum libris vel certe illam in his exstare, cum dicat (§ 50): „haec accepimus ab ipsis, haec scripta conservant, hunc fontem habent disciplinae.“ Ea denique verba, quae post haec leguntur: „num ergo opus est ad haec refellenda Carneade? num Epicuro?“ demonstrant, Ciceronem argumentis Carneadeis reliquo libro ad refellendos Stoicos uti, libro igitur aliquo Clitomachi — Epicureorum scripta Cicero non adhibuit nisi ad philosophiam eorum exponendam —, in hac autem parte disputationis suae Clitomachum deserere. Iam quaeritur, apud quem scriptorem Cicero ortum haruspicinae narratum invenerit; eam autem quaestionem in aliam commentationis meae partem differo, ne hic oratio nimis a perlustrando libro digrediatur.

§ 55 Cicero vituperat, quod qui ex ostentis divinent, horum causam non quaerant. Huic quoque opprobrio Posidonium copiose occurrisse apparet ex l. I § 12—16 et 35. Utque inde elucet, Tullium disputatione de ortu haruspicinae absoluta ad Clitomachum rediisse, ut divinationis ex ostentis refutationem denuo atque nunc copiosius institueret, sic etiam consequitur ex commemoratione Democriti (57) saepius in libro altero appellati, cuius scripta Ciceronem ipsum ad librum suum or-

nandum legisse nemo credet. Ex eo autem quod Democriti mentio artissime coniuncta est cum Ciceronis iudicio de gallis gallinaceis Lebadiensibus, manifestum fit, hoc non ab ipso demum esse factum, sed iam expositum fuisse a scriptore Graeco quem sequitur. Atque id universe in singulorum exemplorum Graecorum refutatione valet. Quamquam enim libentissime tantum acuminis, quanto ad has excogitandas opus est, Ciceroni tribuimus, qui quidem Romanorum superstitionem eleganter et suaviter refellat, tamen exemplorum Graecorum refutationes altero libro expositas vel certe maximam earum partem iam apud Clitomachum extitisse inde concludi potest, quod ut hoc sic aliis quoque locis arte cum argumentis ipsis cohaerent, a Cicerone autem similium exemplorum Romanorum refutationes adiunguntur (cf. § 61 et 62; c. 55, § 112 et 113; 115 et 116; § 66; 69). Sententiae illi convenit, quod ea exempla non Romana, quae in libro priore a Philisto (§ 39; 73) et a Posidonio (46, 47, 50, 52, 53, 54, 64, 65) sumpta esse demonstrari potuit, aut omnino iam non commemorantur aut paucissimis verbis in unum comprehensa manifesto ab ipso Cicerone reiciuntur (II, 136), contra ea prioris libri exempla, quorum auctorem non esse Posidonium demonstratum est (cf. p. 19 et p. 21 sq.), copiosius refelluntur, aut ita certe, ut eorum refutatio cum Clitomachi argumentis et orationis partitione artissime cohaereat. Cf. I, 72 et II, 63—65; I, 74 et II, 67; 56: I, 75 et II, 68; I, 76 et II, 69. — I, c. 27 et II, 135. Accedit tertium genus exemplorum Graecorum, quae in libro altero et narrantur et refutantur, plurima in refellenda naturali divinatione (II, 115, 134, 135, 141, 143, 144, 145), quam in priore libro Cicero exemplis praecipue a Posidonio sumptis illustraverat. Si haec omnia coniuncta perpenduntur, efficitur, Ciceronem exemplorum a Clitomacho ad refellenda Stoicorum dogmata ex Chrysippi et Antipatri libris, quibus Cicero ut vidimus non est usus, prolatorum partem tantum libro alteri reliquisse, partem autem iam in librum priorem transposuisse, quo commodiorem postea haberet in libro altere eorum refutationem nempe a Clitomacho praebitam. Quae leguntur c. 33—37, haec ad Ciceronem ipsum esse re-

ferenda res tractatae demonstrant. Quod huius ipsius propriae et suae disputationis initio Cicero primum pronuntiat, de sortibus et de Chaldaeis peculiares fore orationis partes, eo firmatur sententia supra exposita, de illis apud Clitomachum omnino non fuisse dissertum eiusque divisionem a Cicerone c. 11 integram esse translatam. — Eorum vero, quae sequuntur c. 38 et 39, summam esse auctoris Graecis ex his apparet: § 80 Ciceronis haec sunt verba: „illud erat philosophi potius, totius augurii primum naturam ipsam videre, deinde inventionem, deinde constantiam." Hunc ordinem ipse in sequentibus servat. Quis autem non videt, ita factum esse, ut de eadem re bis diversis locis ageretur? De constantia enim augurii § 82 Cicero ita loquitur, ut demonstret, apud alios populos alia esse auguria, atque idem iam § 76 dixerat. Causa huius rei in eo tantum posita esse potest, quod cum partitione illa non mutata explicationis quoque ad eam pertinentis summam Cicero ex libro Graeco sumpsit, cum quae illi antecedunt suo Marte exposuisset. —

Quid iudicandum sit de sortium et de Chaldaeorum reiectione (c. 41—46), exposui p. 32. Addi potest, ex Ciceronis verbis (c. 47 § 97): „videsne me non ea dicere, quae Carneades, sed ea, quae princeps Stoicorum Panaetius dixit? ego autem etiam haec requiro" cet., praeterquam quod demonstrant, disputationem antecedentem esse Panaetii, insequentem c. 47 ipsius Ciceronis, id quoque denuo apparere, ea quae altero libro legimus in universum niti argumentis Carneadeis, libro igitur Clitomachi. Quaestio, quae hic oritur, quonam Panaetii libro Cicero usus sit ad refellendos Chaldaeos, coniungenda est cum disquisitione de auctore eorum, quae legimus § 100—109, primumque disserendum de ratiocinatione Chrysippi, Diogenis, Antipatri in l. I § 82 et 83 proposita, in l. II § 101—106 refutata, quam ad Posidonium non esse referendam demonstravi p. 22 sq. Potuit certe et proposita esse et refutata a Panaetio in eo libro, quo is exposuit, quibus de causis de divinatione dubitaret. Id enim eum fecisse in aliquo libro et hunc Ciceroni praesto fuisse certa exstant indicia. Legimus de div. I § 6: „a Stoicis vel

princeps eius disciplinae, Posidonii doctor, discipulus Antipatri, degeneravit Panaetius, nec tamen ausus est negare, vim esse divinandi, sed dubitare se dixit." Cum Cicero scribat: „ausus est" „dixit", fortasse aliquis putet, eum Panaetii de divinatione sententiam sermonibus aut fama accepisse. Sed cf. Ac. pri. II, 107: „id quidem [fieri posse, ut quisquam nulli rei assentiatur] perspicuum est, cum Panaëtius, princeps prope meo quidem iudicio Stoicorum, ea de re dubitare se dicat, quam omnes praeter eum Stoici certissimam putant, vera esse haruspicum responsa, auspicia, oracula, somnia, vaticinationes, seque ab assensu sustineat. Quod si is potest facere vel de his rebus, quas illi, a quibus ipse didicit, certas habuerint, cur id sapiens de reliquis rebus facere non possit?" Unusquisque videt, quam parum recta sit haec conclusio; nemo certe concedet, propterea, quod de una aliqua re (de Panaetio) aliquid praedicatur (eum de divinatione dubitare; praedicandi verbum ex logicorum usu hic intellegi volo), etiam de omnibus eiusdem generis rebus (de sapiente in universum) praedicandum esse totum id genus, cuius species singulae rei tribuebatur (eum de omnibus dubitare). Apud Academicum Graecum accurate et acute disputantem falsam hanc conclusionem Cicero non invenit, sed ipse inseruit. Quod cur fecerit tum demum intellegemus, cum singularem aliquam Panaetii laudandi causam cogitare poterimus. Credemus igitur, Ciceronem paullo ante, quam haec scripsit, quae ex Academicis protuli, legisse Panaetii de rebus illis iudicium. Utroque autem loco Ciceronem usum esse eodem fonte et cui maximam habere posset fidem magnamque tribuere auctoritatem, ea re probatur, quod hi loci (Ac. pri. II, 107 et de div. I, § 6) paene ad verbum inter se congruunt, id quod fortuitum esse non est putandum, cum sciamus de illa Panaetii a ceteris Stoicis dissensione ab aliis alia tradita esse (cf. Zeller. de philos. Gr. III, 1 p. 506). Peculiaris autem Panaetii de divinatione liber non fuit, quod si fuisset Cicero sine dubio aut in Stoicorum de divinatione librorum serie (I § 6) aut his locis, quos modo exscripsi, aut ubi astrologiae refutationem ad Panaetium refert (II, 97) librum eius de divinatione commemorasset. In alio igitur libro Pa-

naetius oblata disputandi de Stoicorum superstitionibus occasione etiam exposuit, de eorum divinationis defendendae rationibus sibi non esse persuasum. Tum etiam fieri potuisse, ut ratiocinationem illam Chrysippi, Diogenis, Antipatri refutaret, nemo negabit. Sed apud Clitomachum quoque, cuius libro Ciceronem uti vidimus, exstare potuit expositio et refutatio illius conclusionis, qua Chrysippus, Diogenes, Antipater divinationem re vera esse demonstrare studuerunt. Sed est cur id negemus et demonstrare possimus, re vera apud Panaetium Ciceronem illam argumentationem et prolatam et refutatam invenisse atque inde libro suo insernisse. Nam si e Clitomacho eam sumpsisset, non quasi ab alio principio exorsus (II, 101) eam explicasset, sed in ea libri alterius parte, qua universam divinationem refellit quaeque antecedit disputationem de singulis divinandi generibus (II § 8—26); universam enim divinationem Stoici argumentatione illa defendebant. Praeterea nulla sunt indicia, quae Clitomachi nos admoneant, contra sunt, quae Panaetii. Diogenes enim Babylonius in hoc opere Tulliano praeter hunc locum (II, 101), de quo disserimus, et eum, qui secundum hunc est compositus (I, 82 et 83), tantum commemoratur in disputatione Panaetii de astrologia (II, 90 sq.), nunquam in Clitomacheis. Ac reapse a Clitomacho praecipue Antipatrum impugnatum esse supra vidimus; eum ut Stoicorum principem ipse cognovit, cum Carthagine deleta Athenas veniret, quo tempore Diogenes Babylonius iam erat mortuus. Contra Panaetium historiae dogmatum philosophorum fuisse studiosissimum et Diogenis quoque Babylonii scriptis operam dedisse adnotavimus (p. 13). Eum igitur praeter Chrysippum et Antipatrum etiam Diogenem attulisse ut testem eius ratiocinationis, de qua agimus, multo est veri similius, quam Clitomachum; quodque est cur huic illam ipsam cum testibus exhibitam eiusque refutationem non tribuamus, iam pro certo affirmari potest, Stoicorum rationem, qua re vera esse divinationem concludebant, et expositam et refutatam Ciceronem invenisse apud Panaetium. Confirmatur haec sententia eo, quod in huius rationis refutatione (II, 105) ad Dicaearchum Cicero provocat et in fine l. IV de fin. bon. et mal.

inter eos philosophos, quos Panaetius semper habuerit in ore, etiam Dicaearchum fuisse dicit.

Iam si inter scripta Panaetii quaerimus id, in quo etiam de divinatione eum disseruisse est credibile, non dubitabimus, quin hoc fecerit in libro περὶ προνοίας. Atque hunc una cum Bruti epitome Caelianorum mense Iunio anni post u. c. 709 Ciceronem sibi curasse mittendum commemoravi, ubi de exemplis Caelianis libro priori insertis disputavi (p. 15); iamque illius loci disputatio et ea, quam modo institui, altera alteram confirmat.

Postquam Cicero Cratippi rationem redarguit — quam et ipsam apud Panaetium extitisse expositam et refutatam inde suspicari possis, quod § 100 Dicaearcho tribuitur quodque in ea vocabula Graeca exponuntur (§ 108) — transit ad alteram partem illius divisionis, quam initio posuit disputationis de singulis divinandi generibus (c. 11), ad divinationem naturalem. De qua secundum divisionem modo dictam inde a c. 54 ita disserit, ut primum loquatur de eo illius genere, quod fit ex concitatione mentis. Initium Cicero capit a disputatione de Sibyllae versibus, pergit reiectione fabularum (c. 55). Quod hic exemplum profert Cassandrae, id ex iis est, quae in librum suum priorem traiecit ex Clitomacho versa. Apud hunc enim, ut ratio postulabat et altero libro factum esse videmus, duo dicta Cassandrae, quoniam omnino eiusdem generis sunt, una disputatione continebantur, apud Ciceronem in priore libro disiunguntur, ita scilicet, ut neutro loco cum reliqua oratione cohaereant. Nam I, 66 sq. Cassandrae vaticinium sententiae Posidonii de morientium divinatione misero transitu adiungitur. Neque minus inepta eius adiunctio fit I, 114, ubi antecedenti enuntiato enumerantur nemora, silvae, amnes, maria ut commoventia hominum animos, et pergitur: „quo de genere illa sunt: eheu, videte“ cet., quasi Cassandrae furor ex una illarum rerum ortus esset. Quae igitur leguntur initio c. 55, iam apud Clitomachum exstabant, mox autem Cicero ad Romanos vates transiens sua exponit. Nec vero non videmus, ubi ad scriptorem Graecum redierit. Apollinis enim operta iam § 113 suo arbitrio reiecit; tamen § 115 quasi ad

novam rem transeat dicit: „sed iam ad te venio, sancte Apollo“ cet. Exponitur deinde de Chrysippi libro περὶ χρησμῶν iudicium, cui Cicero propria immiscuit. Haec sunt et verba: „partim falsis, ut ego opinor“ (§ 115), quibus etiam probatur, reliqua iam alium censuisse, nempe Clitomachum, et quae legimus § 116. Utrumque eiusdem sententiae est et a Cicerone ut videtur additum, quo orationem laudando Ennio reddere possit speciosiorem. — Disputatio de oraculis finitur (§ 117 et 118) refellendis iis, quae Stoici proferebant de vetustate ut causa oraculorum exstinctorum. Refutatio omnibus partibus esset absoluta, si demonstraretur, non apta esse ad comparandum ea, quae I, 38 eo consilio afferuntur, ut intellegatur, quomodo vetustas esse possit causa exstinctorum oraculorum; quae vero huic defensioni illic adduntur, omnino in l. II c. 57 negleguntur. Tali conditione rationem indicari, quae intercessit inter Clitomachum et Posidonium, iam saepius monui. Etiam acerbissimo de Stoicis iudicio (§ 118) Cicero nos commonefacit, ne obliviscamur, ipsum sequi acrem eorum adversarium. — Simili ratione in sequentibus philosophum σκεπτικὸν agnoscimus et verbis: „nescio quomodo nihil tam absurde dici potest quod non dicatur ab aliquo philosophorum“ (§ 113) et § 133, ubi σκεπτικοῖς proprium studium apparet proferendorum eiusmodi exemplorum, quibus manifestum fiat, quantopere res obscurentur, si pro ipsis earum descriptiones ponantur (cf. Giesium ad hanc §). Atque totam inde a c. 58 disputationem a Cicerone sumptam esse e libro Graeco patet ex universa orationis specie, philosopha argumentandi ratione, accurato rerum ordine. Neque vero Cicero aut Zenonis commentarios inspexit (119), ut cognosceret, quae fuerit eius de somno sententia, aut notionem Minervae medicae (123) tam tritam habuit, quam Jovis Capitolini, aut eam tantum ob causam, ut legentes delectaret, bis Graecam vocem συμπάθειαν ambagibus Latine reddidit ipsamque insuper addidit (124, 142); sed omnia haec ad auctorem Graecum referenda sunt, neque vocem, quam dixi, aliter atque explicatam videmus, Latine reddere potuit. Quae praeterea exstant scriptoris Graeci vestigia etiam quis hic fuerit demonstrant. Id enim ultima libri

alterius parte agitur, ut reiciatur Chrysippi et Antipatri defensio divinationis ex somniis (126, 130, 134, 144, 145), neglecto Posidonio, qua re, ut vidimus, Clitomachus significatur. Neque solum utriusque Stoici de divinatione libros auctor Graecus in refellendo respexit, sed etiam sicut antea Chrysippi de oraculis (§ 115) nunc eiusdem de somniis librum. Quod non solum apparet ex § 134, sed etiam per se veri simillimum est, in libro de somniis, non de oraculis, somnia ad Chrysippum relata fuisse exposita, et errare auctorem, qui somnium a Cicerone § 134 narratum libro *περὶ χρησμῶν* tribuit, quemque secuti sunt Suidas (s. v. *νεοττός*), Photius, Apostolius in proverbiis. Ceterum auctoris illius ignoti expositio a Ciceronis narratione paullum differt, ita quidem, ut apud hunc de ovo, apud illum de ovis sermo sit. Somnium de copone Megarensi (II, 135; I, 57) Ciceronem non legisse in libro Chrysippi ipsius, sed apud alium scriptorem, qui non id agebat, ut accurate exempla Chrysippi exprimeret, in quaestione de fontibus libri prioris exposui (p. 19). Et quoniam illa duo somnia, de ovo et de copone Megarensi et praeterea Simonidis somnium (II, 135; I, 56) in altero libro secundum genera distinguuntur (134, 135) et ibi demum suo ordine et loco tractantur, efficitur, et Simonidis et hospitis Megarensis somnium esse in eorum exemplorum numero, quae Cicero ex Clitomachi libro in priorem suum transtulit. Quia a Clitomacho refutata erant, Posidonius iis uti iam non potuit (cf. p. 19).

Denique quae legimus § 126: „praesertim cum Chrysippus Academicos refellens permulto clariora et certiora esse dicat quae vigilantibus videantur, quam quae somniantibus" Clitomachum auctorem patefaciunt, cui quidem, sicut Carneadi, praeter Antipatrum aequalem praecipue Chrysippi, Stoicorum principis, contra Academicos disputationes prae ceteris erant curandae.

Haec habui quae proferrem ad demonstrandum, libri alterius de divinatione summam Ciceronem sumpsisse ex scripto aliquo Clitomachi. Quod tribus constitisse libris probabiliter conici posse videtur ex specie libri Ciceroniani, qui quidem manifesto ex tribus potissimum partibus compositus est. Quae

enim antecedunt c. 11 (c. 3—10), continent universae divinationis refutationem (I), reliqua autem disputatio (c. 11—72) iis, quae Cicero secundum alios fontes aut suo Marte disserit (c. 41—53), ita in duas partes dividitur, ut earum prior (c. 12—40) secundum divisionem c. 11 propositam contineat reiectionem singulorum generum divinationis artificiosae (II), altera (c. 54—72) divinationis naturalis refutationem (III). Hunc igitur tripertitum ordinem iam a Clitomacho tribus περὶ μαντικῆς libris esse observatum est veri simile.

Restat ut promisso stemus disserendi de auctore narrationis illius, quam Cicero habet de ortu haruspicinae (II § 50). Eandem Lydus de ostent. c. 3 magnopere a Cicerone discedens e fonte obscuro refert. Sed inter scriptores ad librum suum adhibitos Lydus etiam Nigidium Figulum habuit. Si is quoque ortum haruspicinae exposuit, veri simillimum est, eius narrationem Lydum non fugisse, qui quidem huius ortus, ut videmus, curiosissimus fuit, multumque Nigidio ut vetusto scriptori tribuere debuit auctoritatis. Tum certe, si invenisset differentias inter ea, quae in fonte suo obscuro et quae apud Nigidium legit, de illis aliquantulum locutus esset; quod cum non factum esse videamus, a Nigidio ortus ille aut eodem modo atque in Lydi fonte aut omnino non est expositus. Ex utroque consequitur, Ciceronem Nigidii Figuli libri ad ortum haruspicinae enarrandum non esse usum. Ne Varronis quidem rerum divinarum libros eum adhibuisse efficitur ex iis, quae dixi p. 11. Iam si scriptores Romanos et aetate Ciceronem antecedentes et aequales, in quorum libris ortum illum legere potuit, circumspicimus, Varrone et Nigidio remotis unus restat A. Caecina Ciceronis amicus (cf. epist. ad fam. VI, 5—8). Huius fuisse scriptum „de Etrusca disciplina“ testis est e. g. Plinius hist. nat. in fontibus Romanis l. II. Quodque ex libro Caecinae Volaterrani Cicero narrationem suam profert, dicit: (§ 50) „haec accepimus ab ipsis“ sc. Etruscis. In universum Etruscae disciplinae notitiam Ciceronem maxime a Caecina accepisse censet G. Schmeisser in „quaestionum de Etrusca disciplina particula“ (Vratislaviae 1872) p. 29, qui etiam quae de Caecinae libro sciamus accurate exponit p. 23 sqq.

Jenae, typis Friderici Frommanni.